

4
Dono acquisivi ab Admo. Sum
Reverendo Dno Proposito
Frisacensi. An^o Dni 1457.


PIÆ
COGITATIONES
DE
CHRISTO
PATIENTE.
DISTRIBUTÆ
IN SINGULOS DIES
QUADRAGESIMÆ.

ET
ALMÆ SODALITATI
B.V. MARIÆ

AB ANGELO SALUTATÆ
In Archiducali & Academico S. J.
Collegio Clagenfurti

IN STRENAM DATÆ

M DCC LVII.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
LITERIS KURTZBÖCKIANIS.

A-356903



*Christus passus est pro nobis,
vobis relinquens exem-
plum, ut sequamini ve-
stigia ejus. 1. Petri 2.*

DS-2019-2153

C E L S I S S I M O

A C

REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

DOMINO DOMINO

J O A N N I

BAPTISTÆ

DEI GRATIA

EPISCOPO LAVANTINO

E

COMITIBUS DE THURN

VALSASSINA ET TAXIS &c. &c.

Metropolitanæ Ecclesiæ Salis-
burgensis

CANONICO CAPITULARI

PRÆPOSITO

Ad SS. Mauritium & Magdalenam

Prope Friesachum

Per utramque Carinthiam in Pontificalibus
& Spiritualibus

VICARIO GENERALI

E T

VICE - DOMINO IN FRIESACH.

RECTORI SUO MARIANO.

EXCELLENTISSIMO
A C
ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI ANTONIO
S. R. I. COMITI DE GOES
L. B. IN CARLSBERG, MOSBURG
ET KAZENEGG,
DOMINO in Gradisch, Ebenthal, Pach,
Pfanhoffen, Niederdorff, Hochenstein, Gurniz,
Liebenfels Gradeneg & Winizstein.

Sacra Caesarea Regiaeque Majestatis
ACTUALI INTIMO CONSILIARIO
ASSISTENTI PRIMO,
ILLUSTISSIMO
DOMINO DOMINO

JOSEPHO NICOLAO
L. B. AB HALLERSTEIN,
DOMINO IN ALMB, HORNSTEIN,
MEISLBERG ET PORTENDORFF,
HEREDITARIO per Carinthiam Falconum Magistro.
Inclutorum Statuum Majoris Consilii Deputato
Sacra Caesarea Regiaeque Majestatis
VICE-CAPITANEO
Nec non Judiciorum Prætorialium, Provincialium,
& Criminalium

PRÆSIDI ACTUALI
ASSISTENTI SECUNDO.
Cæterisque Reverendissimis, Illustrissimis,
ac Perillustribus
D. D. CONSULTORIBUS,
ET CONSODALIBUS.

D. D.

Sodalitas Major
B. V. M. ab Angelo salutata.

Ad Lectorem.

QUam grata DEO, & quam proficua saluti animarum semper fuerit pia recordatio Passionis ac Mortis Domini nostri JESU Christi, id satis indicat effatum aureum Alberti Magni Tractatu de Missa: Simplex Meditatio Passionis Christi plus valet, quam si quis per annum jejunaret in pane & aqua qualibet sexta feria, vel disciplinaret se usque ad effusionem sanguinis. Et certe hac pia DEI patientis memoria ad penitentiam conversi sunt gravissimi peccatores: alii vincere affectus animi immoderatos & in studium Christianarum virtutum tota contentione incumbere, alii Deum

ardentissime amare, & amore illius
multa pati, & agere ceperunt. Quæ
res, quoniam tantum fructus & me-
riti cogitantibus adferat, idcirco u-
niverſa Paſſionis Chriſti myſteria in
quadrageſima dies hic breviter dige-
ſta ſunt. Servient, ut in promptu
habeas materiam, qua pie recolenda
per ſingulos Quadrageſimæ dies
paſſum pro te Deum venerari, cru-
ciatibus ejus compati, virtutes imi-
tari, atque uberem animæ fructum re-
ferre valeas. Adjicitur etiam per
ſingulos dies Oratio Eccleſiæ, cum
Stationum Indulgentiis, ut recitan-
do quotidie ſepties Pater & Ave,
&c. ad præſcriptam ab Eccleſiâ in-
tentionem tanti theſauri te red-
dere participem poſſis.

ORDO

ORDO
PIARUM
COGITATIONUM
DE
PASSIONE
AG
MORTE CHRISTI.

Septimana prima.

Dies Cinerum.

DE Ingressu Christi in Jerusalem.

Dies Jovis.

De Cena Christi in Bethania.

Dies Veneris.

De Christo à Juda vendito.

Dies Sabbati.

De Christo valedicente Matri.

Septimana secunda.

Dominica I. Quadragesime.

Invocabit.

De ultima Cena Christi cum Discipulis.

A 3

Dies

Dies Lunæ.

De Egressu Christi in hortum.

Dies Martis.

De Oratione Christi in horto.

Dies Mercurii.

De Sudore Christi sanguineo.

Dies Jovis.

De Christo confortato ab Angelo.

Dies Veneris.

De Christo obviam eunte Juda; & Satellitibus.

Dies Sabbati.

De Comprehensione Christi, & fuga Discipulorum.

Septimana tertia.

Dominica II. Quadragesima.

Reminiscere.

De Christo deducto ad Tribunal Anna.

Dies Lunæ.

De Christo alapâ percusso.

Dies

Dies Martis.

De Christo ad Caipham misso.

Dies Mercurii.

*De Injuriis toleratis à Christo in Do-
mo Caipha.*

Dies Jovis.

De trina negatione Petri.

Dies Veneris.

De seria Petri Penitentia.

Dies Sabbati.

De vana & inutili Juda Penitentia.

Septimana quarta.

Dominica III. Quadragesimæ.

Oculi.

De Juda desperatione.

Dies Lunæ.

De Christo deducto ad Pilatum.

Dies Martis.

De Pilato JESum vocante ad examen.

Dies Mercurii.

De Christo remisso ad Herodem.

A 4

Septi.

Dies Jovis.

De Christo postposito Barrabæ.

Dies Veneris.

De Pilato cedente furori plebis.

Dies Sabbati.

De Christo flagellis caso.

Septimana quinta.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Lætare.

De Christo spinis coronato.

Dies Lunæ.

De Christo plebi exhibito à Pilato dicente : Ecce Homo !

Dies Martis.

De Christo iterum accusato apud Pilatum.

Dies Mercurii.

De Christo ad mortem damnato.

Dies

Dies Jovis.

De Christo bajulante Crucem.

Dies Veneris.

De fetu Mulierum in Crucis bajulatione.

Dies Sabbati.

De Crucifixione Christi.

Septimana sexta.

Dominica Passionis.

Judica.

De Christo crucifixo.

Dies Lunæ.

De Christo felle potato.

Dies Martis.

De reliquis illusionibus Christi in Cruce.

Dies Mercurii.

De primo Verbo Christi in Cruce.

Dies Jovis.

De secundo Verbo Christi in Cruce.

Dies Veneris.

De tertio Verbo Christi in Cruce.

Dies

Dies Sabbati.

De quarto Verbo Christi in Cruce.

Septimana septima.

Dominica Palmarum.

De quinto Verbo Christi in Cruce.

Dies Lunæ.

De sexto Verbo Christi in Cruce.

Dies Martis.

De septimo Verbo Christi in Cruce.

Dies Mercurii.

De Christo moriente in Cruce.

Dies Jovis Sanctus.

De Christi Latere Lanceâ transfixo.

Dies Parasceves.

De depositione Christi à Cruce, & Sepultura.

Sabbatum Sanctum.

De Recessu Matris Christi.

PIÆ

PIÆ
COGITATIONES
DE PASSIONE
AC
MORTE CHRISTI
Septimana I.

DIES CINERUM.

De Ingressu Christi in Jeru-
salem.

Christus JESUS, cum appro-
pinquaret tempus, quo pro
salute humani generis pati,
ac mori elegisset, flagrat incredibili
desiderio ingrediendi Hierosolymam,
urbem, quam novit fore theatrum
acerbissimæ Passionis ac Mortis suæ.
De hac futura Passione, ac Morte
loquitur ore placido, & animo tran-
quillo: attamen maestis urbem intue-
tur

*tur oculis, & perfidiam ejus, ac im-
pendentes illi calamitates deplorat.*

Reflexio.

I. **C***hristus flagrat incredibili de-
siderio ingrediendi Hieroso-
lymam.* Desideravit Christus in-
gredi Hierosolymam, theatrum
passionis suæ, quia desideravit pa-
ti, ac mori, ut te redimeret. Hoc
ardens desiderium, quo JESUS
flagravit pati ac mori amore tui,
proh! quantum reprehendit tor-
porem tuum, qui usque adeo re-
luctaris pati adversa amore Christi.
Non es dignus Christiani nomine,
si nolis dura pati Christi amore.

II. *Christus de imminente Pas-
sione ac morte loquitur ore placi-
do, & animo tranquillo.* Quid si-
bi vult hic oris lepos, hæc animi
tranquillitas, qua de futuris cru-
cia.

ciatibus, & acerba morte loquitur Christus? Sermo ille blandus, & miram spirans amœnitatem tibi documento est, ut abstineas ab inani murmure & querimonia, si quando imminent, aut te premunt res adversæ. Hilaris patitur, & sine murmure, qui patitur Christi amore.

III. *Christus mœstis ocalis intuetur Hierosolymam, & plorat.* Deplorat scilicet urbis illius perfidiam, impendentes calamitates, & futurum excidium, quod prævidit, & prædixit. Si JESUS tantopere deploravit infelicitatem & perfidiam alienam, quanto magis plangere tu debes tuam! Potésne inspicere conscientiam tuam, quin amare fleas ob innumerabilia peccata tua, quæ usque adeo infelicem reddunt animam tuam. Ah! evigila tandem a somno peccatorum, quo es sopitus, & si ha-
ctenus

atenus non horruisti cumulare peccata peccatis, non desine deinceps illa etiam detestari, & plangere.

Affectus.

JESU Christe, Redemptor Mundi! quid in me dignum vidisti affectu tuo, ut tu DEUS pro me homine vili & misero peccatore, tam dura pati & mori desiderares. Domine! tu es Salvator meus, tu salus mea, ego servus & mancipium tuum. Nunquam interibit in animo meo tanti beneficii memoria. Te amabo, te laudabo, tibi soli serviam, tecum volens, lubensque patiar. Oblivioni detur dextera mea, si non adhæsero tibi.

ORATIO ECCLESIAE.

Presta Domine Fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda solemnia, & congrua pietate suscipiant,

*piant, & securo devotione percur-
rant. Per Dominum nostrum &c.*

*Statio ad S. Sabinam Martyrem,
Indulgentiæ plenariæ.*

DIES JOVIS.

De Cæna Christi in Bethania.

C*Um Christus cænaret in Betha-
nia, in domo Pharisei, Mag-
dalena, quæ nuper publica in civi-
tate peccatrix, prostravit sese pæni-
tens ad pedes Christi. Peniten-
tem benignè Christus recepit, & ab
aliis temeritatis accusatam defen-
dit, sanctè insuper asseverans, quod
ab ea pie, ac laudabiliter gesta
olim prædicanda sint per orbem
universum.*

Refle-

Reflexio.

I. *M*agdalena penitens se prosternit ad pedes Christi, & benigne recipitur. Quanta, & quam profusa est DEI erga peccatores benignitas? Magdalenam, profligatæ vitæ feminam, a qua toties, & tam graviter est offensus, illam benignè recipit quin imo gratiam illi offert suam. Quantumcunque peccasti, si modò seriò te poeniteat, pone metum, & noli esse pusillanimis. Ille, quem offendisti, infinitè bonus, & infinite misericors est. Accede cum spe, ac fiducia. Benigne recipiet te, si humili, & contrito corde quærat à te.

II. *C*hristus Magdalenam temeritatis accusatam defendit. Non deerant, qui reprehenderent feminam ad Christi pedes jacentem, quos

quos lavare, tergere, ungerere, atque osculari peccatrix audeat: verum, quia pœnitens, & afflicta ad Christum recurrit, & in eo posuit spem suam, Christus eandem defendit. Si Christus protegit, ac defendit miseros, confugientes ad se, quid igitur moraris accurrere ad Christum, quando contra te insurgit tempestas tribulationum? Eja! Accurre, & confide in JESU Salvatore tuo. Hic te miserum defendendum suscipiet, si modò totum te relinquis infinitæ illius misericordiæ & bonitati.

III. *Christus asseverat Magdalene gestæ olim prædicanda esse per universum orbem.* Hic nempe fructus erat generosæ & sinceræ pœnitentiæ. Per hanc sanctiores sæpe evadunt peccatores, quàm fuissent, si non peccassent. Si aliquando securus es Magdalenam peccantem, sequere & pœnitentem,

B

tem,

tem. Prosterne te ad pedes Christi, dole, deprecare, propone, emenda, & stude deinceps DEO tuo servire ferventius. Si ita te pœniteat, ne dubita: delicta, quantumvis gravia, olim tibi cedent ad gloriam & salutem æternam.

Affectus.

Domine JESU! En me peccatorem prostratum ad sacratissimos pedes tuos. Ne memineris, quæso, iniquitatum mearum antiquarum. Respice me cum Magdalena oculis misericordiæ tuæ, & non desere toto corde sperantem in te. Doleo, & vehementer doleo amore tui de peccatis meis. Posthac tuâ adjutus gratiâ non peccabo in æternum.

ORATIO ECCLESIE.

Inchoata jejunia, quæsumus Domine, benigno favore prosequer,

re, ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Georgium Martyrem.
Indulgentiæ 10000. Annorum.

DIES VENERIS.

De Christo a Juda vendito.

Judas, Christi discipulus, nefarie vendidit Christum, Magistrum, & summum Benefactorem suum. Vendidit illum Judæis perfidis, vilissimo triginta argenteorum pretio, ultro sese ad tradendum offerens.

Reflexio.

1. **J**udas vendidit Christum? Quis homo ille audax & temerarius, qui vendere ausus est? Vendidit

didit Judas, unus ex Apostolis, & in schola Christi enutritus discipulus. Quem vendidit? Dominum JESUM, optimum Magistrum, ac summum Benefactorem suum. O ingratitude post natos homines inauditam! Contremisce, quisquis virtutis culmen te attigisse, & stare putas firmiter, vide: ne cadas. Si in peccatum tam enorme miserè lapsus est Apostolus in Christi Collegio, quid tecum fieri possit attende, tot inter mundi laqueos, & carnis illecebras constituto?

II. Judas Christum vendidit Judæis perfidis. Excusari forte meretur Judas, si Magistrum suum vendidisset amicis, aut Christi familiaribus: sed heu! vendidit Scribis & Phariseis, juratis Christi hostibus. O barbariem diris omnibus devovendam! Sed an minor hætenus fuit tua? Quotiescunque peccato gravi contaminasti conscientiam, toties

toties DEUM tuum, & animam
tuam temere vendidisti: & cui?
dæmoni, DEI & animæ tuæ hosti
infensissimo.

III. *Judas Christum vendidit
triginta argenteis.* Heu! quo Ju-
dam impulit argenti dira fames?
Vendidit JESUM non auro divite,
non lucro grandi, sed ut acciperet
vilissimum triginta argenteorum
pretium. O insaniam satis nun-
quam detestandam! Sed quoties &
tu insanivisti multò magis? tu, qui
vendidisti toties DEI gratiam, cu-
jus pretium omnes mundi thesau-
ros transcendit quam longissime:
& cur? ut momentaneam, vilem,
ac turpissimam degustares volupta-
tem, aut te pasceres inani honoris
fumo, aut expleres noxiam haben-
di cupiditatem. An cæcitas animi
major excogitari potest?

Affectus.

Mitissime JESU! tu passus es te vendi a tuo Apostolo, tuis inimicis, pretio vilissimo; quoties hæc mentem subit cogitatio, toties totis artubus contremisco. Timeo scilicet, ne & ego infelix Judæ socius te, mundi pretium, aliquando vilissima voluptate vendam, & æternum peream. Domine! nisi tu me adjuves, vendam, & peribo. Miserere ergo mei secundum magnam misericordiam tuam, & a peccatis cunctis libera me.

ORATIO ECCLESIE.

DEUS, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: Et flagella tue iracundie, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum &c.

Statio apud SS. MM. Joannem & Paulum. Indulgentiæ 10000. Annorum.

DIES SABBATI.

De Christo valedicente Matri.

Priusquam Christus pedem efferret ex Bethania, dixit supremum vale amantissimæ Matri suæ. Hæc mutua dilectione complexa Filium promptam se offert passionis sociam, parata ferre dolores omnes, quos Christus esset toleraturus. Interea utriusque voluntatis consensio fuit tanta, ut nihil peterent magis, quam perfecte adimplere voluntatem DEI Patris.

Reflexio.

I. **E**gressurus ex Bethania Christus dixit supremum vale

Matri suæ. Singulare hoc erat filialis amoris testimonium, quo Mariam, Matrem suam, dilexit Christus. Nolebat separari ab ea, quin prius eidem peramanter valediceret. An? & qualis tuus in DEI Matrem est affectus? Quibus modis affectum hunc tuum testatum facis? An hunc probas crebris ad eam suspiriis, filiali fiducia, & sedula virtutum illius imitatione? Non ab homine, sed tygride natus es, si illam non amas ut Matrem, quæ te semper amavit ut Filium, & tot beneficiis tibi amorem testata est suum.

II. *Maria se offert Christo dolorum & passionis sociam.* Ut in igne aurum, ita fere rebus in adversis probatur amor. Multum pati desiderat pro amato, qui multum amat: ita plane Christum amavit Maria. Desideravit extrema quæque pati cum filio suo, unice dilecto. Et tu, si vere amas JESUM,
para-

paratus esse debes ad multa tristitia & adversa toleranda amore JESU. An es paratus?

III. *Maxima fuit JESU & MARIÆ cum DEI Patris voluntate consensus.* Hoc quam maxime mutuum inter se amorem contestati sunt JESUS & MARIA. Propria sinceri amoris prærogativa est, velle idem, quod vult amatus. Absque hoc diu stare sincerus amor non potest. An tu pariter in rebus omnibus DEI voluntati te resignas? An à manu illius prompto, & humili corde accipis prospera æque ac adversa? Unicum tuum in omni adversitate solatium, & cura sit: libenter pati, quidquid vult, quam diu vult, & quia vult Dominus, & DEUS tuus, & amor tuus.

Affectus.

BENIGNISSIME JESU! Tu amore tenerrimo & filiali complexus

es Matrem tuam Mariam : sed & mihi eam moriens dedisti in Matrem. Accende igitur cor meum ô JESU! Mariani amoris igne, ut illam nunquam desinam venerari, & amare ut Matrem, quæ tot gratiis & beneficiis me hucusque cumulavit, & non cessat cumulare quotidie indignum filium.

ORATIO ECCLESIAE.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & concede : ut hoc solemne jejunium, quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, decoro servitio celebremus. Per Dominum nostrum, &c.

Statio ad S. Triphonem Martyrem,
Indulgentia plenaria.

Septi-

Septimana II.

Dominica I. Quadragesime.

INVOCABIT.

De ultima Cæna Christi cum
Discipulis.

PRiusquam Christus patiendi fecit initium, ultima cene accubuit cum discipulis suis, in qua illis mutuam inter se commendavit dilectionem. Inde surgens cepit singulorum lavare pedes, & abstergere linteo, quo erat præcinctus. Denique instituit SS. Eucharistia Sacramentum, in quo carnem suam dedit in cibum, & sanguinem in potum, ad salutem nostram sempiternam.

Refle.

Reflexio.

I. **C**hristus in ultima cena mutuat dilectionem commendavit Discipulis. Quanti pretii in oculis DEI debet esse proximorum dilectio, quam tantopere discipulis suis comendavit Christus? Hæc nempe est certissima nota, qua discernuntur discipuli Christi a discipulis mundi, & diaboli. Si livor, si odium, si vindictæ spiritus tuum animum occupat, non es eschola Christi, sed diaboli, æterno odio infectantis humanum genus. Ut genuinum te probes Christi discipulum, dilige proximum tuum ex toto corde, dilige propter DEUM, dilige sicut te ipsum.

II. Christus a cena surgens cepit singulorum lavare pedes, & abstergere linteo. Quam paulo ante docuit verbo, modo etiam docet

cet exemplo charitatem in proximos. Probe noverat Christus, quod ab uno discipulorum esset tradendus, ab altero ter negandus, ab omnibus turpi fuga deferendus: nihilominus se prosternit ad pedes singulorum, quos, lavat, tergit, & singulos osculando exemplum præbuit non modo sinceræ, sed & heroicæ dilectionis. Disce a divino Charitatis Magistro non solum diligere illos, qui te diligunt, sed etiam illos, qui te oderunt. An ita diligis?

III. *Christus instituit SS. Eucharistiæ Sacramentum ad salutem nostram sempiternam.* Ut intime tecum uniretur Christus, pascere te voluit carne sua & sanguine in Eucharistiæ Sacramento. Ingens hoc sane, ac perpetuum sinceri amoris est monumentum, quo te dilexit Christus. An majus aliquid tu ab illo accipere, aut ille tibi præ-

præstare potuit, quam dando se ipsum? Scilicet non verbis tantum, aut solo animi affectu diligendus est proximus, operibus, etiam, ac constanti beneficentia, probandus amor. An tu ita testari studes tuam erga proximos charitatem?

Affectus.

HUmillime JESU! Quam immensus ac ineffabilis est amor tuus erga genus humanum! Tu te ipsum mihi peccatori dedisti in cibum & potum: O utinam omni possibili puritate semper suscipiam sanctissimum hoc corporis & sanguinis tui Sacramentum! sed & utinam te perfecte imiter in profunda humilitate, & sincera erga proximos charitate. Hoc statuo firmiter, hoc agam cum tua gratia, quam non negabis humiliter oranti, & in te speranti.

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

DEUS, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas; presta familiae tuae, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum nostrum &c.

Statio apud S. Joannem in Laterano. Indulgentiæ plenariæ.

DIES LUNÆ.

De egressu Christi in hortum.

Finita cena Christus e canaculo ac urbe egreditur in hortum ad montem Olivarum. Interea predicat scandalum discipulis suis, quod passuros prævidit in nocte illa. Petrus audentior cæteris, ac nimium sibi fidens nunquam fore, ait,

ait, ut scandalizaretur ipse, quamvis ceteri omnes forent scandalizandi.

Reflexio.

I. **C**Hristus finita cena egreditur in montem Oliveti. Egreditur ex urbe olim sibi dilecta, quam ornavit tot beneficiis, illustravit tot prodigiis, cujus damna tot deploravit lacrymis, sed quæ gratiis non est usa suis. Hanc infelicem urbem dereliquit JESUS, & exivit in montem Olivarum. En : quam res periculi plena sit neglectus gratiarum DEL. Time, ne & tu aliquando post tot oblatas tibi gratias, quibus vel uti noluisti, vel male usus es, deferas a JESU. Non te securum putata, quando gratiæ tibi dantur, sed quando datis recte uteris.

II. *Christus prædicat scandalam*
disci-

discipulis suis. Novit JESUS im-
belle & timidum pectus discipulo-
rum suorum. Nondum erant cor-
roborati cælesti spiritu, & virtu-
tum solidarum præfidiis instructi,
vix in periculum & labendi occa-
sionem adducti sunt, & ecce: turpi
fuga deseruerunt Magistrum suum.
Sic nempe occasio docet, qua quis-
que virtute sit præditus. Aliud est
cogitare de peccandi periculo, &
aliud versari in eo. Si labi nolis,
semper cum tremore ac timore,
cura salutem tuam. Non ultro te
committe periculo, nec tuis inni-
tere viribus, sed gratiæ DEI. Si
amas periculum, peribis in illo.

III. *Petrus ait: nunquam fore,*
ut scandalizaretur. Si fervor Pe-
tri fuisset cum profunda animi de-
missione conjunctus, non adeo ci-
to evanuisset. Audax sese præfe-
rebat aliis, suæ nimium virtuti in-
nixus. Ita fere cadunt citius, aut

C

præ-

præstant minus, qui sese cæteris præferunt, & plus posse putant. In iis, quæ tibi agenda comittuntur, ita fide DEO, & diffide tibi, ac si tu nihil, sed solus DEUS totum agere deberet: interim age ita sedulo & ferventer, ac si nihil DEUS, sed tu solus omnia agere deberes: Ita & recte, & ut plurimum feliciter ages. An hæc est tua agendi ratio?

Affectus.

O Bone JESU! Tu nosti imbecillitatem cordis mei, & quod sine te non aliud possim, quam peccare. Non denega ergo humiliter supplicanti gratiam tuam, qua confortes imbecillitatem meam. Adjuva me, ut semper a peccatis, & peccandi periculis declinare, & ea, quæ tibi sunt placita, agere valeam. In te Domine! confido, non confundar in æternum.

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

Converte nos *DEUS* Salutaris
noster, & ut nobis jejunium
quadragesimale proficiat, mentes
nostras cœlestibus instrue discipli-
nis. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Petrum ad vincula.
Indulgentia plenaria.

DIES MARTIS.

De oratione Christi in horto.

Christus ingressus hortum Get-
semani, de more se confert ad
locum solitarium, ut oraret, ac se
disponeret ad imminentem passio-
nem ac mortem. Orat vultu in
terram prostrato, plenus amore,
spe, ac fiducia in *DEUM* Patrem,
perfecte etiam resignatus in divi-
nam voluntatem. Discipulos quo-

que suos hortatur ad orandum, ne incidant in tentationem, & cum subinde dormientes reperisset, suaviter increpat.

Reflexio.

I. **C**Hristus imminente passionis tempore se confert ad locum solitarium, ut oraret. En: quid agendum tibi sit, quando imminet procella adversitatis? Confugiendum scilicet ad devotam orationem, ut robur animi de cælo impetres. Orat DEUS, orat omnipotens, orat sanctitas, ut passio ac mors imminens cedat ad salutem hominum: & cur tu pulvis, tu imbecillis, fragilisque homo non oras crebrius & ardentius, ut adversitatem, quæ te premit, ferre possis fortiter & constanter ad salutem animæ tuæ? Non nosti recte vivere, si non didicisti recte orare.

II. *Christus orat vultu in terram prostrato, plenus amore, spe, fiducia, & resignatione in DEI voluntatem.* En : quis tenendus sit orandi modus? Non erit grata DEO oratio tua, nec facile impetrabis, quod oras, nisi fuerit comparata ad normam orantis Christi. An hactenus exemplo Christi orare consuevisti? Pudeat te orare vagis oculis, distracta mente, absque fervore, sine reverentia DEO debita, & animo tam parum resignato in DEI voluntatem. Sic orare non est deprecari, sed cumulare peccata: est irritare DEUM, non placare.

III. *Christus hortatur discipulos ad orandum, ne incidant in tentationem.* En : quo remedio tibi utendum sit contra vim & impetum qualiumcunque tentationum : vix aliud certius contra has

præsidium invenies, ac fervidæ orationis, quod docuit discipulos suos Magister Christus. Si hætenus mundi, carnis, aut dæmonum insidiis crebrius succubuisti, si peccata cumulaſti peccatis, si peccandi consuetudinem contraxiſti, & nẽdum eam extirpaſti, id totum tribue ſocordię tuæ, qua orare ad **DEUM** negligis, quando vel ingruit vis tentationis, vel in periculum incidis, aut peccandi occaſionem.

Affectus.

TU mi JESU! facie in terram prostratus oraſti ad Patrem, pro mea, & omnium hominum ſalute: hortaris etiam ad orandum discipulos tuos, ne incidant in tentationem. Ah! quando tandem imitabor hoc ſanctum tuum orandi ſtudium? ego, qui tot indies tentationibus impetor, & heu! indies vincor. Domine! non ceſſabo ad te orare quotidie: Pater mi! qui es
in

in cælis, ne me inducas in tentationem.

ORATIO ECCLESIAE.

Respice Domine familiam tuam,
& presta: ut apud te mens
nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se
carnis maceratione castigat. Per
Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Anastasiam. Indulgen-
tia 28000. Annorum, & totidem
Quadragenarum, & liberatio a-
nimæ ex purgatorio.

DIES MERCURII.

De Sudore Christi sanguineo.

Christus in monte Oliveti, prius-
quam pateretur, prolixius orat
ad DEUM Patrem: orando intel-
ligens, quanta esset perpeffurus, in-
credibilem luctum patitur in animo.

Hæc lucta erat tanta, ut ex membris omnibus sanguinem sudaret JESUS, cujus tanta fuit copia, ut factæ sint guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Reflexio.

I. **C**hristus sudavit Sanguinem. Hoc sudore sanguineo voluit testari JESUS imensum suum erga te amorem, quo flagrabat unice salutem animæ tuæ. Et tu quid retribuisti? Erisne adhuc tam segnis in patiendi pro tuo JESU, & tam tepidus in illo redamando? in illo, qui pretiosum sanguinem ex venis omnibus sudavit pro te? Domine JESU! Ex hoc momento super omnia amabo te, & , si opus sit, amori tuo vitam consecrabo, & sanguinem.

II. *Christus sudavit Sanguinem ex membris omnibus.* Expressit copiosum sanguinem ex membris omnibus,

nibus, tener ille, & intensus doloris sensus, quem concepit in animo JESUS ob innumerabilia peccata tua: potuisset illa eluere lacrymis, voluit sanguine, & cum suffecisset gutta, abluit unda. Et tamen tu infelix peccator! quam es difficilis ad peccata tua deflenda, qui tam facilis es ad ea committenda? Domine JESU! Da donum lacrymarum, ut deinceps flere possim, ac deflere peccata mea lacrymis inenarrabilibus.

III. *Facta sunt guttae sanguinis decurrentis in terram.* Hunc sanguinis torrentem provocavit mortalium impietas, eorum maxime, quos præscivit, quod propter negligentiam suam ex Passione ac Morte Christi non essent relaturi vitam, sed exitium sempiternum. En: quantum sanguinis sudavit Jesus amore tui, & quam parum tu illi reddis? Ille non modo guttas,

sed rivos fudit & torrentes : & tu
vel modicum sudorem illi negas.
Domine JESU ! Posthac nulli parcam
labori ac sudori ad promovendam
tui nominis gloriam & honorem.

Affectus.

A Mantissime JESU ! Quid retri-
buam tibi pro tanta erga me
ingratum liberalitate, quam copiosi
sanguinis profusione voluisti con-
testari ? Pudet ! ah pudet me socor-
diæ & ingratitude meæ ! Interea,
donec tibi reddam, quod debeo,
suscipe contriti cordis lacrymas,
queis defleo, & continuo deflebo
peccata mea, quæ tot rivos san-
guinis ex membris tuis expresse-
runt. Spero Domine ! cor contri-
tum, & humiliatum non despicias.

ORATIO ECCLESIAE.

PReces nostras, quæsumus Do-
mine, clementer exaudi, &
con-

*contra cuncta nobis adversantia
dexteram tuæ Majestatis extende.
Per Dominum nostrum &c.*

Statio ad S. Mariam Majorem. In-
dulgentia 28000. Annorum &
totidem Quadragenarum.

DIES JOVIS.

De Christo confortato ab
Angelo.

Postquam DEI Filius in maxi-
mis corporis atque animi angu-
stis positus, se totum quantum in
DEI voluntatem resignasset, &
prolixæ orationi intentus copiosum
sanguinem sudasset, ad majora etiam
toleranda paratissimus, ecce: appa-
ruit illi Angelus de Cælo confortans
eum.

Refle-

Reflexio.

I. *Christo in maximis angustiis posito apparet Angelus.* Est hoc proprium infinitæ bonitati & misericordiæ DEI, ut in auxilium veniat illis, qui premuntur angustiis, & cum turbine adversitatum colluctantur. Quanto gravius affligeris, tanto ferventius ad DEUM ora, & firmiter in eo pone spem tuam. Senties ut plurimum advenire subsidia divina, quando deficient humana.

II. *Christo in angustiis ad Patrem oranti apparet Angelus.* En: quam prompte succurrit DEUS Pater Christo ad se confugienti per devotam orationem. Crede: non est alia certior cælestem opem impetrandi via, quam humilis & fervens oratio. Quotiescunque aut pavor, aut tristitia, aut altera adversitas mentem premit, ad orationem te
con-

converte. Subibit animum missus a Patre cælesti Angelus, qui vi mirabili orantem a mærore liberet, aut solatium afflicto adferat.

III. *Christo in angustiis oranti apparet Angelus confortans eum.*
O plane admirabilem æterni Patris bonitatem, & providentiam! Premi aliquamdiu, sed non opprimi permittit filium suum. Post gravissimam agonix luctam & sudorem sanguineum mittit Angelum, qui eum confortet. Ita nempe post labores & ærumnas pro DEO toleratas sequitur quies, & post devictos animæ hostes triumphus solatium. Dimica strenue contra mundi & dæmonis insidias, resiste fortiter carnis tentationibus: brevi aderit DEI gratia, qua conforteris, & quæ liberaliter compensabit vincentis laborem, & ad majora prælia reddet idoneum.

Affe-

Affectus.

AD mortem usque tristissime JESU! tua oratio, tua in DEI voluntatem resignatio, tua constantia meruit, ut in agone tuo confortareris ab Angelo. En: me totum resigno in paternas manus tuas: hic preme, hic afflige, hic crucia: id unum oro abs te, ut, quando me videris in ultimo vitæ agone positum, recorderis mei, & morientem confortes gratiâ tuâ, ut æternum vivam.

ORATIO ECCLESIAE.

DEvotionem populi tui quaesumus Domine, benignus intende, ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Laurentium in pane & perna. Indulgentia plenaria.

DIES

DIES VENERIS.

De Christo eunte obviam Judæ
& satellitibus.

Post sudorem sanguineum, & fusas ad Patrem preces, sibi tantisper redditus surgit JESUS, & excitat a somno discipulos. Subinde obviam pergit satellitibus, qui Duce Juda jam jam appropinquabant ad comprehendendum eum. Osculo a Juda traditur, quem tamen proditorem novit, nihilominus dulci compellat amici nomine.

Reflexio.

1. **C**hristus post fusas ad DEUM preces obviam pergit Judæ, & satellitibus. Hic erat fructus orationis humilis, ferventis, & constantis. Hac accensus est JESUS ad ardua quælibet toleranda pro gloria

ria DEI Patris, & hominum salute. Quod nempe cibus corpori, hoc oratio est animæ. Languet sine cibo corpus: tepet absque oratione anima. Ad quoscunque temptationum insultus stabis intrepidus, si crebro & ferventer oraveris. Sed eheu! quam raro tu oras? aut quam tepida est oratio tua?

II. *Christus osculo a Juda traditur.* Proh detestandam Judæ perfidiam! Accedit ad Christum vultu blando & hilari, sed animo virulento: compellat Magistrum, sed tradit ut maleficum: osculatur, sed & perdit. Ita nempe non omnis affabilitas à virtute est, sicut non omnis splendor ab auro. Cave diligenter, ne unquam fidas superiorum blanditiis. Multis est mel in ore, sed fel in corde. Agnos se fingunt, & sunt lupi, quærentes unicè, ut te devorent. Ex verbis decentibus, & piis operibus, & maxime

xime ex illibatæ puritatis studio facile intelliges, an? & quinam digni sint tuo consortio?

III. *Christus Judam proditorem compellat amici nomine.* Quanta hæc Christi est benignitas, & mansuetudo! hostem infensissimum ac proditorem suum ore blando vocat amicum: certe non alio fine, quam ut amicum faciat ex hoste, & hominem liberet ab interitu. An ita tu agis cum illis, a quibus es offensus? An te præbes illis comem, benevolum, & affabilem, exemplo & amore Christi? Quomodocunque offendi te contingat a proximo tuo, nunquam cogita: quid illata tibi poscat injuria, sed quid Christianam deceat charitatem.

Affectus.

MItissime JESU! Quis non adoret ineffabilem tuam benignitatem, & mansuetudinem? Tu
 D etiam

etiam hostes infensissimos compellas amicos, ut ex hostibus facias amicos, & liberes a perditione. Ergo misericordes tuos oculos etiam ad me converte. Peccavi, fateor, fui inimicus Christi: sed ex inimico fiam amicus, si tu mi JESU! pœnitentem & contritum non despicias.

ORATIO ECCLESIAE.

Esto Domine propitius plebi tuae: & quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Per Dominum nostrum &c.

Statio apud sanctos Apostolos. Indulgentia plenaria.

DIES SABBATI.

De Comprehensione Christi, & fuga Discipulorum.

Dum Judas osculo, veluti dato signo, Christum prodit, toto impe-

impetu in illum irruunt satellites. Verum audito ejus nomine, velut fulmine icti, semel atque iterum in terram procidunt: surgere jussi violentas manus in Christum injiciunt, & comprehendunt. Hac inter exterriti metu discipuli relicto Christo fugerunt.

Reflexio.

I. *S*atellites audito JESU nomine, semel atque iterum in terram procidunt. Quanta, & quam mirabilis inest vis sanctissimo nomini JESU? Certe non est potestas, non est consilium contra Dominum JESUM. Hoc solo nomine quot indies dissipantur conatus hostium terrestrium & infernorum? Eja igitur, quisquis ab interitu liberari cupis, Cælum respice, & in tentationibus, in tri-

D 2

bula-

bulationibus, in cunctis necessitatibus invoca nomen Domini, & salvus eris.

II. *Satellites violentas manus in Christum injiciunt, & comprehendunt.* Quam mira mansuetudine, & patientia comprehendi se patitur Christus? Nec potentia illi defuit, nec legiones angelorum, qui capiendum e manibus hostium eriperent: at comprehendi ultro voluit, ut DEI Patris impleret voluntatem. Quam longe aliter tu agis, quando ab hominibus affligeris? Cur usque adeo laboras, ut te subtrahas adversariorum persecutionibus? Crede: non homo est, qui te affligit, sed DEUS, qui te castigat per hominem. Cur ergo non toleras animo æquo, fortique ferientis manum DEI?

III. *Discipuli relicto Christo fugerunt.* Quam subita hæc fuit animo-

mo-

morum mutatio ! Nuper extrema pati, & etiam mori ardebant cum Christo discipuli, quando scilicet eorum pedes lavit, quando illis carnem suam in cibum, & sanguinem in potum dedit, ac fidem roboravit in cordibus eorum: at quando tempus adversitatis advenit, quando ingruit turbo persecutionis, subito fugiunt relicto JESU. Hæc nempe congenita humanæ mentis est inconstantia, sequi fortunam prosperam, & fugere adversam. Tu fac animo forti, magnoque sis, & nec minis, nec blanditiis, nec prosperis, nec adversis te separari sinas a sequela & charitate Christi.

Affectus.

Domine JESU! si discipuli tui, carne tua & sanguine refecti, tua voce instructi, tuo exemplo animati, te Dominum ac Magistrum

strum suum turpiter dereliquerunt, quid mecum fiet homine fragili & imbecilli? Benignissime JESU! si tu me miserum non derelinquis, ego non derelinquam te in æternum. Conforta me solum gratia tua, & ne permittas me unquam separari a te.

ORATIO ECCLESIE.

POpulum tuum, quaesumus Domine, propitius respice: atque ab eo flagella tua iracundiae clementer averte. Per Dominum nostrum
Ec.

Statio ad sanctum Petrum. Indulgentia plenaria.



Septimana III.

Dominica II. Quadragesimæ.

REMINISCERE.

De Christo deducto ad Annæ
Tribunal.

Comprehensus Christus, funibus
ligatur, & latronis instar in-
ter cachinnos, & tripudia per pla-
teas & urbis compita ad tribunal
Annæ Pontificis ducitur a satelliti-
bus. Vocatur ad examen tum de
discipulis, tum de doctrina sua, &
tametsi nullius sceleris reus fuerit,
falso tamen de variis, ac gravissi-
mis criminibus accusatur.

Reflexio.

I. **C**hristus latronis instar duci-
tur ad tribunal Annæ. Heu!

D 4

quam

quam aliud erat hoc spectaculum, ac illud, quo nuper inter publica lætitiæ signa, & faustas populi acclamations Hierosolymam subiit JESUS. Nuper ibat in gloria, hodie in ignominia, nuper triumphantis ritu, hodie furis instar & latronis. Ita nempe omnis vana est mundi gloria, & gaudium transitorium. Cave, ne unquam fidas mundi deliciis: sunt vapor ad modicum durans, evanescunt instar fumi, & sæpe tristem post se trahunt ignominiam. Non est solidius in terris gaudium, quam illud, quod adfert vita pura & innocens.

II. *Christus vocatur in examen de doctrina & discipulis suis.* Quis ille, qui suspectus de crimine vocatur in examen? Est innocens DEI Filius. A quo vocatur? Ab Anna Pontifice, homine & peccatore. Et cur? ob doctrinam sanctam,

etiam, & discipulos doctrinæ sanctæ
sectatores. An audacia major exco-
gitari potuit? Stetit nihilominus
coram Pontifice JESUS, admira-
bili cum modestia atque animo im-
perturbato, unice sua fretus inno-
centia. Disce a mitissimo JESU
imperturbato ferre animo temera-
ria hominum de te judicia, & si-
nistras opiniones. Nihil hæc tibi
oberunt, si modo reum te non ar-
guit conscientia.

III. *Christus variorum & gra-
vium criminum falso accusatur.*

Quam gravis & acerba hæc merito
accidit Christo injuria? Ille Sancti-
tatis omnis fons, qui nec fuit, nec
ullius peccati reus esse potuit, ille
tamen accusatur palam, quasi ef-
set humanarum divinarumque le-
gum contemptor sacrilegus. Illa-
tam JESUS injuriam fert animo
forti & silentio invicto. Si tam pal-
marem injuriam fortiter silensque

tulit JESUS innocens, cur tu non
feras patienter criminationes, quan-
tumvis falsas, tu: qui tot alioquin
scelerum te reum nosti?

Affectus.

JESU innocentissime! & omnis
Sanctitatis fons! tu fretus tua in-
nocentia, nec sinistris de te judi-
ciis, nec falsis criminationibus di-
moveri te passus es a pace animi:
& ego tot scelerum reus adeo per-
turbor, si quando cujuscunque de-
mum criminis reus arguor. Da mi-
hi Domine! da obsecro semper vi-
vere pie, ac innocenter, ut crimi-
nationes etiam falsas exemplo tuo
feram patienter, & libenter.

ORATIO ECCLESIAE.

DEUS, qui conspicias omni nos
virtute destitui: interius, ex-
teriasque custodi; ut ab omnibus ad-
versitatibus muniamur in corpore,

Et

*Et a pravis cogitationibus munde-
mur in mente. Per Dominum no-
strum Et.*

Statio ad S. Mariam. Indulgentia
23000. Annorum.

DIES LUNÆ.

De Christo alapa percusso.

Christus in examen vocatus de
doctrina Et discipulis suis, sese
revocat ad testimonium illorum, co-
ram quibus palam locutus est: Istud
indigne ferens ex ministris unus im-
mani alapa Christum percutit. Ad
impactam alapam non plané tacuit,
sed admirabili cum mansuetudine
respondit JESUS: Si male locutus
sum, testimonium perhibe de malo,
si bene, cur me cedis?

Affe-

Reflexio.

I. **U**Nus ex ministris immani alapa Christum percutit. Heu! quam enormis, & quam atrox hæc est injuria? Percutit homo vilis, percutitur DEI filius: percutitur alapa immani, manu ferrata, ab ingrato Malcho, illo nempe, cujus paulo ante læsam aurem consanavit prodigio. Quid tu ageres, si pari te affici injuria contingeret? tu, qui ne verbulum mordax sine ira, aut gravi impatientia ferre potes. Ah! respice in faciem Christi tui, & si subinde pateris, aut passus es malum, parce illi, a quo passus es, ne fitis duo mali, ille te lædendo, tu illi non parcendo.

II. *Ad impactam alapam non plane tacuit JESUS.* Quid sibi vult sermo ille, quo percutientem allocutus est Christus? An profectus est ab animi impatientia, ab impetu iræ,

iræ, aut vindictæ spiritu? Minime: Locutus est Christus, ut indicaret facti injuriam, & corrigeret malefactorem: sed locutus est animo benigno, vultuque placido, sine impetu, absque ardore. Ita nempe majoris sæpe virtutis argumentum est loqui ore blando, ac modesto, quam tacere penitus, & coquere fel in corde. Si subinde facienti injuriam obloquendum est, sit sermo tuus benignus, sit humilis, sit ad salutem, sit talis, qualis fuit sermo Christi.

III. *Respondit JESUS: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si bene, quid me cædis?*
 En: Quam belle impactæ alapæ injuriam demonstrat Christus! Certe cum injuria cæditur, qui innocens cæditur. Ita sane cæsus est JESUS, quem nec reum arguebat conscientia, nec testes probare poterant. At quoties etiam à te cæditur JESUS

SUS innocens? An non sæpius quærere ex te potest: quid me cædis? quid cædis verbo? quid cædis opere? quid pravis cogitationibus & desiderijs? Crede: toties innocentem JESUM cædis, quoties qualicumque peccato eundem offendis.

Affectus.

Mansuetissime JESU! ne avertas, quæso, faciem tuam à me, quam tot alapis laceffi, quot peccatis te offendi. Respice me oculis misericordiæ tuæ, delicta & negligentias meas ex intimo corde desilentem. Nunc dixi, nunc cæpi: te adjuvante nullo peccato, præsertim gravi, te offendam in æternum.

ORATIO ECCLESIE.

P*resta quæsumus Omnipotens*
DEUS, *ut familia tua, quæ*
se

se affligendo carnem, ab alimentis abstinet, sectando justitiam à culpa jejundet. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Clementem. Indulgentia 10000. Annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum.

DIES MARTIS.

De Christo ad Caipham misso.

AB Anna Christus mittitur ad domum Caiphæ, ut in concilio sacerdotum, Phariseorum & seniorum populi discuteretur causa illius. Hic iterum accusatus, & falsis testimoniis pro reo habitus primum tacet: cum vero a Præside interrogatus se DEI Filium profiteretur, veluti blasphemus, pronantiatur reus mortis.

Refle.

Reflexio.

I. **C**hristus ab Anna mittitur ad domum Caiphae. Quam funestum, & mille ærurnarum, ac injuriarum ferax fuit hoc iter Christi? Ducitur per vias publicas, instar latronis, inter insana populi & militum tripudia, percutitur pugnis, truditur pedibus, trahitur funibus, & quid non? Ita voluit vilipendi, & contemni Christus: & cur? ut expiaret superbiam, fastum & ambitionem tuam, qua coli ab omnibus, & adorari quæris: horres autem confundi, & ægro fers animo contemptum levissimum.

II. *Christus falsis testimoniis pro reo habitus tacet.* Quid est, quod falsa testimonia contra se prolata ne verbulo refellat JESUS? Scrutator cordium non ignoravit occultas fraudes adversariorum, quas revelare, & refellere facile poterat

rat, si voluisset: tacuit tamen, quia satis superque refellebat integritate morum, & sanctimonia vitæ, qua cunctis præluxit. En: quam firma defensio sit vita innoxens? Non satis defendent te speciosa verba, quando reum te accusant iniqua facta.

III. *Christus interrogatus a Præside fatetur se DEI Filium.* Hic tandem rupit silentium, qui alias fere tacuit. Scivit pronuntiandam contra se mortis sententiam, si palam diceret se DEI Filium: attamen se talem libere fatetur, & intrepide. En: qua cordis & oris libertate confiteri DEUM oporteat, & illius tueri honorem contra quoscunque impios. Non est, quod timeas, quando causa DEI agenda est: si unquam alias, tunc maxime proba te DEI filium. Age libere, age fortiter, age cum spe & fiducia. DEUS erit pater tuus, protector tuus, & auxilium tuum.

E

Affe-

Affectus.

Domine JESU ! quanta fuit tui animi fortitudo coram iniquissimo concilio ! Consurgunt adversus te falsi testes, pronuntiatur mortis sententia, omnia conspirant in tuum interitum : & tamen intrepidus te fateris DEI Filium. O utinam semper te vere credam, te vita & moribus libere confitear DEI filium : sed heu ! quoties te hactenus negavi ? quoties negavi verbis ? quoties factis ? Ah ! parce Domine ! parce peccatis meis. Deinceps semper, & ubique te libere confitebor unicum & verum DEI filium corde, ore, & opere.

ORATIO ECCLESIAE.

Perfice, *quæsumus Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium : ut quæ te auctore faciendâ cognovimus, te operan-*

rante impleamus. Per Dominum
nostrum &c.

Statio ad sanctam Balbinam. In-
dulgencia 10000. Annorum.

DIES MERCURII.

De injuriis toleratis a Christo
in Domo Caiphæ.

Incredibilia sunt, quæ **JESUS**
passus est in illa nocte, quam
exegit in domo Caiphæ. Præter il-
la, quæ Evangelista silet, expue-
runt in faciem ejus, & colaphis
eum ceciderunt: etiam illuserunt
ei interrogantes: Prophetiza no-
bis Christe! quis est, qui te percus-
sit? Blasphemiis insuper gravissi-
mis lacefferunt **JESUM**.

Reflexio.

I. **E**Xpuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt.

Quousque tandem sæviit insana Judæorum impietas? Conspuerunt sputis sædissimis, & pugnis percusserunt divinam illam faciem, in quam desiderant prospicere angeli, & ad aspectum illius veneratione procumbunt. An potuerunt|graviori contumelia afficere JESUM mitissimum? at quoties tu illum affecisti multo gravioribus? Expuisti in faciem Christi, & colaphis eam cæcidisti, quando animam tuam, quæ DEI imago est, tot gravibus peccatis contaminasti. Ah! quando tandem ablues hæc sputa, hos colaphos, has animæ tuæ maculas sinceræ pænitentiae lacrymis?

II. *Illuserunt ei interrogantes: Prophetiza nobis Christe! quis est, qui te percussit? Proh cæcitatem*

&

& amentiam gentis perfidæ ! Ignorari sua crimina , aut non videri se putant ab illo , qui scrutator est cordium , & cujus omnisciis oculis subducere se nemo potest. Hæc mentis cæcitas quot , quantisque hæctenus æternæ perditionis causa fuit ! sed an non erit & tibi ? Quoties quæsvisti noctem & latebras , ut peccares securius ? Scito : ubicunque fueris , non potes effugere oculum DEI. Novit ille cogitationes & affectus tuos , audit verba , videt opera , & cordis intima , quæ omnia aliquando adducet in judicium.

III. *Insuper gravissimis blasphemis lacefferunt JESUM.* Ergo non suffecerunt sputa , non verbera , & alapæ ad cruciandum JESUM ? An verbis insuper sacrilegis , & enormibus blasphemis cædi debuit ? debuit : quia ipse voluit. Et tulit sane has linguas ma-

ledicas silentio & mansuetudine admirabili. Quantum tu abes ab hoc silentio & mansuetudine Christi? Ille immoto vultu, & impavido animo tulit tot blasphemias: tu pro verbo mordaci, aut maledicto unico mille reddis: Christus omni laude & præconio dignus, tu propter tot scelera tua omni contemptu, & vituperio.

Affectus.

MItissime JESU! tu sputis fædaris, tu cæderis colaphis, proscinderis maledictis, & taces. Taces nempe, ut loquaris vehementius, quando venies ad iudicium. Domine! noli tacere, quando me miserum in tot labi peccata vides. Loquere tunc mihi ad cor, exprobra improbitatem, increpa audaciam, redargue ingratitude: ne, quando nunc taces ad tot peccata mea, gravius aliquando tones, ac ferias in æternitate.

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

POpulum tuum, *quæsumus* Dō-
mine, propitius respice: &
quos ab escis carnalibus præcipis
abstinere, a noxiis quoque vitis ces-
sare concede. Per Dominum no-
stram &c.

Statio ad S. Cæciliam Virginem &
Martyrem. Indulgentia 10000.
Annorum.

DIES JOVIS.

De trina negatione Petri.

CHristum per tribunalia circum-
ductum a longe secutus est Pe-
trus. Sedebat ille foris in atrio,
quando Christus in examen voca-
tus est a Principibus Sacerdotum,
& ad ignem calefaciebat se. Sub-
inde ab ancilla, aliisque circum-

stantibus agnitus, & interrogatus :
 an esset Christi discipulus ? Petrus
 Christum iterum, ac tertio negavit,
 idque jure jurando etiam, & ana-
 themizando.

Reflexio.

I. **P**etrus negavit Christum.
 Fierine potuit, ut Chri-
 sti discipulus patraret tam grande
 nefas, & negaret Magistrum suum ?
 Patravit, & negavit Petrus JESUM.
 Et cur ? quia intepuit in amore,
 & primo fervore sequendi Chri-
 stum. Quando Christus in horto
 oravit ad patrem, Petrus dormi-
 vit : quando comprehensus est a
 satellitibus, Christo relicto Petrus
 fugit : quando vero iterum redi-
 vit, ut JESUM sequeretur, secu-
 tus est illum a longe. En tepidi
 amoris in Christum argumenta,
 & tanti lapsus tristem originem.

Time

Time labi in peccata gravia, quisquis in tepefcis in obsequio & amore DEI. Initium peccatorum omnium est tepiditas.

II. *Petrus iterum negavit Christum jurejurando.* Quid est? quod Petrus insuper jurejurando asserat sibi cognitum non esse JESUM? Asseruit, quia nimium de se præsumpsit. Scivit Christus se negandum a Petro, & vero etiam de hoc eum præmonuit: At Petrus plus fidens sibi, quam credens divino oraculo, ruit infelix, atque iterum negavit Christum. En nimiae præsumptionis amarus fructus. Time labi in peccata maxima, quisquis nimium fidis tuis viribus. Tibi soli relictus non aliud potes, quam peccare?

III. *Petrus tertio negavit Christum etiam anathemizando:* Incredible videri poterat, ut etiam anathemizando Christum negaret Pe-

trus: negavit tamen, quia non vitavit negandi periculum. Accessit ad focum, quem hominum nefariorum turba circumstabat: immiscuit sese militum perversorum consortio, qui erant infensissimi hostes Christi: ideo iterum lapsus est in peccatum, ac tertio negavit Christum. En: quo incautos ducat mala societas & promiscua conversatio. Time labi in peccata plurima, quisquis facile adhæres cuicumque socio, & suspecta amas conventicula. Multis æternæ damnationis causa extitit prava societas.

Affectus.

Domine JESU! non ego tecum Petro, sed millies negavi, & nego indies te DEUM, ac Magistrum meum. Nego scilicet cogitatu, quando tam raro de te cogito. Nego sermone, quando tam parum pro te, & de te loquor.

quor. Nego factis, quando tam tepide, aut nihil ago pro tua gloria. At non negabo deinceps: tu solus eris in corde, tu semper in ore, tu finis laborum ultimus, DEUS meus, & omnia!

ORATIO ECCLESIAE.

P*resta nobis, quesumus Domine, auxilium gratiae tuae, ut jejuniis, & orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis, & corporis. Per Dominum nostram &c.*

Statio ad Beatam Virginem trans Tyberim. Indulgentiæ 10000. Annorum.

DIES VENERIS.

De feria Petri Pænitentia.

P*ostquam Petrus ter negasset Christum, miris exagitatus est*

CON-

conscientiæ stimulis. Multò magis autem cruciabatur, quando conversus Dominus respexit Petrum: tum enim vero recordatus est Petrus verbi Domini, quo de lapsu fuerat præmonitus: atque inde egressus peccatum suum fleuit absque mora, amare, & incessanter.

Reflexio.

I. **P**etrus peccatum suum fleuit absque mora. Vix animadverterat Petrus, quod JESUS benignis oculis respexisset eum: & absque mora præ doloris magnitudine flere cæpit, misitque ex oculis suis fontes lacrymarum. Et tu quid agis, qui tot indies inspirationibus & conscientiæ stimulis ad pænitentiam invitaris? Cur etiamnum tot moras trahis? Cur tardas peccata tua agnoscere, & tamdiu differs illa confiteri? Quare semel
 lapsus

lapsus in peccatum non exhorre-
fcis labi iterum, & continuo? Ti-
me: ne iusta DEI pæna moriaris
impænitens: aut ne completo pec-
catorum numero non sit amplius
pænitendi tempus.

II. *Petrus peccatum suum fle-
vit amare.* Amaris Petri lacrymis
causam dedit commissi criminis ju-
gis recordatio. Perpendit nempe
violatam a se fidem, quam jure
jurando Christo dederat. Agno-
vit labem ingrati animi erga JE-
SUM, a quo amabatur unice, &
qui etiam post peccatum misericor-
des suos oculos ab eo non aver-
tit. Hæ sane erant justissimæ ama-
ri fletus causæ. Quot habes & tu
justas scelera tua flendi causas?
An non pariter amoris in te sui
argumenta tibi indies præbet JE-
SUS? Quot, quantisque gratiis
amorem in te probat suum? & ta-
men offendere toties, & tam gravi-
ter

ter tui amantem non reformidas.
Ecquando tandem cessabis peccata cumulare peccatis?

III. *Petrus peccatum suum fleuit incessanter.* Fleuit nimirum, & deflevit illud, donec vixit: eratque tanta illius lacrymarum vis, & abundantia, ut duos veluti canales in genis excavarent, per quos ubertim lacrymarum rivi defluebant. Habes in Petro sinceræ ac seriæ pænitiæ exemplum, quod imiteris. Si Petrus incessanter deflevit peccata tria, an non tu magis deflere debes peccata tua innumerabilia, nullis sat lacrymis deflenda? Aut agenda tibi est seria de peccatis pænitiæ, aut subeundæ sunt æternæ inferni pænæ: utrum eligis?

Affectus.

Domine JESU! quis mihi det fontes lacrymarum, ut amare
&

& incessanter fleam innumerabilia peccata mea, quibus tam graviter offendi ineffabilem majestatem & infinitam bonitatem tuam. Ah! respice me, quæso, oculis misericordiæ tuæ, & da: ut sine mora per veram pænitentiam ad te conversus peccata mea jugibus lacrymis eluam, ac tibi deinceps adhæream unice, nullo unquam tempore a te separandus.

ORATIO ECCLESIAE.

DA, quæsumus, Omnipotens DEUS: ut sacro purificante jejunio sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctum Vitalem. Indulgentia 10000. Annorum.

DIES

DIES SABBATI.

De inutili Judæ Pænitentia.

Judas, cum videret latam esse
 contra Christum mortis senten-
 tiam, & quod jam victus duce-
 retur ad Pilatum, ut sententiæ ei-
 dem subscriberetur, pænitentia du-
 ctus abit in templum, crimen pro-
 ditionis fatetur coram Sacerdoti-
 bus, & restituit pecuniam inique
 acceptam: sed inutilis fuit hæc Ju-
 da pænitentia, tum quia sera nimis,
 tum quia defuit verus dolor, &
 DEI timor.

Reflexio.

I. **I**nutilis fuit Judæ pænitentia,
 quia sera nimis. Obstinatus
 in peccato perseveravit Judas, &
 neglexit dies salutis: Non deerat
 illi tempus, & incitamenta plu-
 rima,

rima, quibus ad pœnitendum mo-
 veri absque mora debuisset. Quam
 bella fuit occasio, quando Christus
 Judæ pedes lavit? quando semet-
 ipsum illi in cibum dedit? de pa-
 trando proditionis crimine præmo-
 nuit, & etiam minas intentavit pro-
 ditori? An non etiam compellavit
 dulci amici nomine, aliisque mul-
 tis ornavit beneficiis? sed tot tan-
 taque divinæ bonitatis testimonia
 non permoverunt saxeum Judæ
 pectus. Quid tu agis post innu-
 mera, quæ a DEO accepisti, &
 indies accipis beneficia? Forte nec
 tu resipiscis, & ad frugem redis me-
 liorem? Noli, obsecro, noli pœni-
 tentiam tuam, & vitæ emendatio-
 nem differre in crastinum. Pœni-
 tentia sera est raro vera.

II. *Inutilis fuit Judæ pœniten-
 tia, quia defuit verus dolor.* Si do-
 luisset Judas propter Christum a se
 offensum, & vitam ac mores mu-
 tare

tare statuisset in melius, quam facile impetrasset delicti veniam: verum non ita doluit infelix Judas. Fessus est quidem crimen suum coram Sacerdotibus, restituit etiam pecuniam inique acceptam: sed defuit propositum serium vitæ melioris, sine quo non stat vera pænitentia. An non & tuus sæpe dolor est sine serio proposito vitandi peccatum, & peccandi occasionem? Toties confiteris peccata tua, & post tot confessiones eadem committis crimina: quid mirum? si vana & inutilis sit tua pænitentia.

III. *Inutilis fuit Judæ pænitentia, quia defuit DEI timor.* Quid illud? quod insolito timore replevit Judam? An ira DEI? quam in se provocavit: aut æternæ inferni pænæ? quas peccando promeruit. Utinam salutaris hic timor percussisset animum Judæ! Timuit ille solum, ne commeritam mortis pæniam

nam luat, si palam fieret, quod tradiderit Christum innocentem, illum scilicet, cujus vitæ integritas ex tot præstitis populo beneficiis, & patratis miraculis erat in aperto. Sed qualis est tuus timor, ex quo graviora peccata fugis? Forsan times fortunarum, honoris, aut famæ jacturam, quam peccando subis: DEUM scelerum tuorum vindicem non times?

Affectus.

Domine JESU! Peccavi in Cælum & coram te, & non sum dignus vocari filius, aut servus tuus! Tu es Pater, & Dominus misericordiarum: tibi proprium est parcere & misereri. Miserere, quæso, mei secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas. Tu nosti, quanta mole peccatorum oppressus jaceam. Ah! trahe me ad

veram pænitentiam, & a peccati
jugo libera me, ut deinceps tibi
foli seruiam conscientia pura, &
animo contrito.

ORATIO ECCLESIAE.

DA, *quaesumus*, Domine no-
stris effectum jejuniis saluta-
rem: ut castigatio carnis assum-
pta, ad nostrarum vegetationem,
transeat animarum. Per Domi-
num nostrum &c.

Statio ad SS. Petrum & Marcelli-
num. Indulgentia 10000. An-
norum, & liberatio animæ ex
purgatorio.



Septimana IV.

Dominica III. Quadragesime.

OCULI.

De Judæ desperatione.

Cum vidisset infelix Judas, quod Principes Sacerdotum parvi facerent illius penitentiam, nec curarent, quod ultro fateretur iniqua proditionis crimen: imo vero respuerent pecuniam, quam restituit, ac insuper ridentes insultarent illi, turbatus animo, & in extremam desperationem actus est. Argenteis itaque in templum projectis abiit, & laqueo semet suspendens in desperatione moritur.

Reflexio.

I. **J**udas in extremam desperationem actus est. Quid in ba-

rathrum desperationis præcipitavit Judam? Quid? DEI sui, & divinarum gratiarum oblivio. Assumptus est Judas in numerum Apostolorum, ut Christum sequeretur: at ille correptus habendi cupidine animum affixit vilis argenti pretio, cujus amore prodidit Magistrum suum, & dereliquit JESUM, ipse pariter derelictus a JESU. Forsan & tu sæpe oblitus es DEI creatoris tui, & dereliquisti summum benefactorem tuum? Si ita: revertere ad eum, a quo recessisti, per viam pænitiæ, & cave: ne deinceps unquam ab eo recedas. DEUS a te derelictus, te quoque derelinquet ad exitium tuum sempiternum.

II. *Judas in extremam desperationem actus laqueo semet suspendit.*
 Heu! quo Judam perduxit infelix abusus divinæ bonitatis? Vescabatur in cæna ultima carne & sangu-

guine Christi: sed indigne: nam gere-
rens in animo proditionis crimen
abusus est remedio salutis ad perdi-
tionem. Hoc infando sacrilegio in-
gressus est in Judam diabolus, & per-
turbavit illius animum, adeo, ut
spem omnem salutis perderet, ac si-
bimet laqueo vitam eriperet. Qua
puritate, & animi dispositione tu
accedis ad sacrum convivium? Ca-
ve: ne sædata peccatis conscientia
indigne sumas corpus & sanguinem
Domini. Quisquis hæc sumit in-
digne, iudicium sibi manducat &
mortem.

III. *Judas in extrema despera-
tione moritur.* Ita tandem infelix
Judas, qui in peccatis diu vixit,
mortuus est impænitens in pecca-
to desperationis. Justa hæc fuit pæ-
na illius, qui contemptis conscien-
tiæ stimulis, ac divinis inspirationi-
bus noluit redire in gratiam Chri-
sti per pænitentiam. Tanti inter-

est internis resistere monitis & impulsibus, quibus sive a peccato avocaris, sive post peccatum ad pœnitentiam invitaris. An tu illis hætenus obtemperare studuisti? Noli resistere deinceps : sunt ut plurimum gratiæ DEI, a quibus pendet æterna salus animæ.

Affectus.

Misericordissime JESU! quid est, quod Petrum post peccatum benigne respexeris : at Judam in desperationem labi, & æternum perire permiseris? Permisisti, quia Dominus es. Miserearis, cujus vis, & quando vis. Adoro : sed & paveo inscrutabilia judicia tua. Ah! respice me quæso, Domine! & mei etiam miserere secundum infinitam misericordiam tuam. Perii, & heu! æternum perii: nisi tu misereris mei, tu, qui es misericors, & miserator Dominus.

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

Quesumus Omnipotens DEUS,
vota humilium respice : atque
ad defensionem nostram dexteram
tua Majestatis extende. Per Do-
minum nostrum &c.

Statio ad S. Laurentium extra mu-
ros. Indulgentia 10000. Anno-
rum, & totidem Quadragen-
arum, & liberatio animæ ex pur-
gatorio.

DIES LUNÆ.

De Christo deducto ad Pila-
tum.

Vix dies illucescebat, & summo
mane ineunt consilium Princi-
pes Sacerdotum, & Seniores popu-
li adversus JESUM. Tunc Surgens
omnis populi multitudo duxit eum

ad Pilatum. Cum prætorium, ne contaminarentur, nolent ingredi, Pilatus exiit foras: hujus judicio, & potestati velut hominem nefarium, & summum malefactorem tradiderunt JESUM.

Reflexio.

I. **S**Ummo mane ineunt consilium Principes sacerdotum, & Seniores populi adversus JESUM. Quoties de perdendo JESU initur consilium? Tertium hoc erat, & pejus prioribus. In primo non eadem omnium fuit opinio: in secundo dubiæ erant sententiæ: in tertio unitis votis conspirant omnes in mortem Christi. Ita scilicet per gradus itur ad scelera. Patrato uno facile succedunt cætera. Nisi strenue resistas tentationibus, & fugias peccandi occasiones, heu! quot peccatis contaminabis animam?

mam? Prima & maxima tua cura sit: ne peccato primo perdas innocentiam? Istud si curaveris, in plura non incidēs.

II. *Surgens universa populi multitudo duxit JESUM ad Pilatum.* Quantam curam impendit populus, ut perderet JESUM? Vix quidquam ea nocte quieti dedit, exegit fere totam illusionibus Christi: tulit tamen alacri animo vigiliarum incommoda, idque studio placendi Principibus, & odio Christi. An tantus tibi est ardor ad serviendum & placendum Christo, quantus fuit Judæorum ad eundem perdendum? Vah probrum Christiani nominis! Surgit multitudo populi, ut JESUM perdat: tu ad promerendam Christi gratiam vix pedem a terra levas.

III. *Velut hominem nefarium, & summum malefactorem tradiderunt*

runt *JESUM*. An major injuria inferri Christo potuit? Traducunt velut impium, & malefactorem dicunt illum, qui non modo benefecit omnia, sed ob infinitam bonitatem suam facere malum non potuit. Hi scilicet sunt de piis impiorum hominum sermones & judicia. Etiam bona & sancta opera lævo intuentur oculo, & in malam partem trahunt. Si te perstringant impii, cum benefeceris, ne turberis animo. Inspice mansuetudinem & patientiam Christi, Salvatoris tui. Perge recte agere: & recte agendo neminem time.

Affectus.

MItissime *JESU*! tu, qui omnia bene fecisti, tu pateris te vocari malefactorem, & traduci velut impium: & ego usque adeo reformido judicia & censuras hominum, qui patravi tot, & tanta mala. Domine! da perfecte imitari mansue-

fuetudinem & patientiam tuam :
da , ut satagam semper recte agere,
& recte agendo nihil timere præ-
ter te Dominum meum , supremum
judicem , ac DEUM meum.

ORATIO ECCLESIAE.

Cordibus nostris, quæsumus, Do-
mine , gratiam tuam benignus
infunde : ut sicut ab escis carnali-
bus abstinemus , ita sensus quoque
nostros a noxiis retrahamus exces-
sibus. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctum Marcum. Indul-
gentia 10000. Annorum.

DIES MARTIS.

De Pilato JESUM vocante ad
examen.

Christus ad Praesidem Pilatum
ductus, de variis & maximis cri-
minibus in examen vocatur. Inter
reli-

reliqua queritur etiam : an Iudeorum Rex esset ? Christus audenter asseverat se quidem esse Regem, sed Regnum suum non esse de hoc mundo.

Reflexio.

I. **C**hristus de variis criminibus in examen vocatur a Pilato.

Trahitur ad iudicium Dominus a fervo, creator a creatura, DEUS ab homine. Vocatur in examen tanquam reus, & interrogatur de variis maximisque criminibus : sed per omnia miti & humili corde respondit JESUS, & quamvis innocens, instar rei expectat sententiam. Huc sese demisit summa sanctitas. Quid tu agis cinis & pulvis, & abysses peccatorum ? An ultra perges elato incedere supercilio ? & nunquam tuam deprimes superbiam ? Disce a miti & humili JESU, quid agere te
opor.

oporteat, si ob vera, vel falsa crimina accuseris, & reprehendaris.

II. *Christus queritur: an esset Rex Judeorum? Et affirmat.* Per ludibrium quidem Christum interrogavit Pilatus: at serio, & ex vero respondit Christus. Dixit se esse Regem: & quis unquam id vocare in dubium potuit? An non enim JESUS Rex est Regum, & Dominus dominantium, & Rex animæ tuæ? Sed quoties tu fidem negasti huic Regi tuo, & noluisti illum regnare super te? Quoties magis obtemperasti mundi, & carnis illecebris, quam imperio & mandatis DEI & Regis tui? Excute ergo jugum hostium animæ tuæ, & tandem te totum subjice Regi Christo: huic vitam, & obsequia tua æternum devove.

III. *Christus ait Regnum suum non esse de hoc mundo.* Quid sibi vult

vult hoc Christi responsum? An cæli terræque Dominus se palam negat esse Regem mundi? minime. Fuit JESUS, eî, eritque semper mundi Rex, cui omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum: attamen se negat esse Regem mundi, Regem scilicet, qui regnet ea majestate, pompa & splendore, quo fere hodie regnant Principes, & Reges mundi. Sed quæ fuit illius regnandi ratio? Regnavit humilitate, mansuetudine, patientia, cruce. Procide ergo ante faciem Christi, & adora DEUM, ac Regem tuum. Intelligent omnes, illum regnare in corde tuo per humilitatem, per mansuetudinem, per patientiam in adversis, & amorem crucis.

Affectus.

Domine JESU! credo, & confiteor te supremum Dominum, & Regem cordis mei. Non cessabo

bo confiteri quotidie : quia Rex
meus, & DEUS meus es tu ! Si
ingruat vis tentationum, si exur-
gant aduersitatum procellæ, si pra-
vi affectus mentem invadant, con-
tinuo dicam : Rex meus es tu ! Tu,
O Rex supreme ! adjuva me ! pro-
tege, & defende me in omnibus
meis necessitatibus, ac præcipue in
hora mortis meæ.

ORATIO ECCLESIAE.

EXaudi nos Omnipotens, & mi-
sericors DEUS : & continen-
tiae salutaris propitius nobis dona
concede. Per Dominum nostrum
Ec.

Statio ad sanctam Pudentianam.
Indulgentia 10000. Annorum.

G

DIES

DIES MERCURII.

De Christo remisso ad Herodem.

Pillatus, cum intelligeret, quod Christus subesset potestati Herodis, remisit eum ad Herodem. Magnopere garrivus est viso JESU Herodes, qui longo jam tempore Christum noscere, & signum aliquod ab eo videre cupiebat: Postquam vero ad sermones Herodis nihil respondisset JESUS, illisit ei tanquam fatuo, & indutum veste alba sprexit cum exercitu.

Reflexio.

I. **P**illatus remisit Christum ad Herodem. Res mira! quod Pilatus, utut esset averso ab Herode animo, nihilominus miserit ad Herodem JESUM. Certe non affectus
amo-

amoris in Herodem ad hoc impulit Pilatum. Impulit amor sui, & timor populi. Noluit damnare Christum, quem jure non poterat: sed nec voluit absolvere innocentem, quem jure debebat. Studuit a se avertere officium judicis, ne in se concitaret Principum & populi odium. Reliquit causam Christi, ne perderet suam. En: quo perducatur mortalium animos respectus hominum? Hic est ille lapis offensionis, qui tot animas præcipitat ad infernum. Sed nunquid etiam tu sæpius reliquisti causam DEI, ut placeres, aut ne displiceret homini? Proh mentis cæcitatem incredibilem! Quis potior? An homo? an DEUS? Si recte sapis: relinque gratiam hominum, sperne opes, famam, vitam, omnia, ut ne perdas gratiam DEI inæstimabilem.

II. *Garvisus est Herodes viso JESU, quia signum ab eo videre*

cupiebat. O vanum gaudium ! O fallax desiderium ! Non hoc accendit affectus erga Christum, sed curiositas, & vana cupido videndi miracula, qualia patrari audivit a Christo. At maluit pati Christus, quam explere cupiditatem Regis impii. An non & tu expectas miraculum, quo traharis ad pœnitentiã ? Cur non hodie incipis extirpare inveteratam peccandi consuetudinem, & redire ad vitam meliorem ? In vanum expectas prodigia. Vim tibi inferas, est necesse, vincendo te ipsum, & refrenando sensus, & affectus animi immoderatos : secus ab impudiciis tuis, ab iracundia tua, a superbia, & inolitatis vitiis non liberaberis.

III. *Herodes illusit Christo tanquam fatuo.* Quousque ascendit superba Herodis audacia ? Sed quousque etiam se se demisit Christus, æterni Patris sapientia ? Voluit ridenti,

deri, contemni, & pro stulto haberi potius, quam sese conformare peruersis moribus sæculi, & loqui, quando non oportebat. Quid tu agis? quando vel est ferenda injuria, & contemptus, vel offendendus est DEUS. Utinam tunc tibi loquatur ad cor hoc Christi silentium, & permoveat te, ut feras potius constanti animo aduersa omnia, quam ut DEUM vel levissime offendas.

Affectus.

BENIGNISSIME JESU! in te sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI: & tamen voluisti rideri, sperni, & pro stulto haberi potius, quam loqui coram Herode impio. Quam confundit hæc humilitas tua superbiam meam, & tuum silentium loquacitatem meam. Ah! parce Domine! parce innumerabilibus linguæ meæ erratis! Posthac illusus, spretus, &

afflictus tacebo, & quascunque injurias lubens feram amore tui, qui tanta tulisti, & tacuisti amore mei.

ORATIO ECCLESIAE.

Presta nobis, quæsumus Domine, ut salutaribus jejuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctum Xystum. Indulgentia 10000. Annorum.

DIES JOVIS.

De Christo postposito Barabbæ.

Pilatus probe sciens Christi innocentiam, satagebat eum liberare a mortis supplicio. Ad hoc opportunum ei videbatur remedium,
si

si Christum innocentem proponeret populo, una cum Barrabba, scelesto, ut pro consuetudine unum deligeret asserendum in libertatem. Putabat fore Pilatus, ut eligeretur innocens præ nocente, Christus præ Barabba: at Principes Sacerdotum & Seniores suaserunt populo, ut peteret Barabbam; eorum itaque suasu Christus postponitur Barabba.

Reflexio.

I. **P**ilatus proponit Christum populo cum Barabba. Quis non videt, quam iniqua hæc fuerit comparatio? An enim recte conferri potest cum sanctitate impietas, cum scelere innocentia, DEUS cum peccatore? Illatam hanc sibi injuriam silenti ore tulit JESUS: & a Pilato quidem eam

G 4

tulit

tulit dundaxat semel : sed quoties eam tulit a te ? Tulit millies, & fert indies : toties nempe, quoties tergiverfaris vilissimam relinquere creaturam, ut adhæreas DEO creatori. Quid hoc est aliud, quam adducere in comparationem creatorem cum creatura ?

II. *Principes Sacerdotum & Seniores suaserunt populo, ut peterent Barabbam.* Fierine potuit, ut principes Sacerdotum & Seniores populi tantæ iniquitatis essent auctores ? illi scilicet, qui pro muneris sui ratione ad saniora consilia flectere debebant populum ? Fuerunt nempe inducti invidia, & odio quodam implacabili, quo ferebantur in Christum. Spina erat in oculis eorum virtus Christi, tum miraculorum frequentia, & multitudo beneficiorum, omnium linguis celebrata. En : in quanta scelera demum perducant affectus
ani-

animi immoderati, ac præcipue odium, & invidia, nisi tempeſtively coerceantur. O quot, quantisque ſempiterni exitii cauſa fuerunt! Erunt etiam tibi, niſi refrenes.

III. *Chriſtus poſtponitur Barabbæ.*

Grande ſcelus fuit Chriſtum componere cum Barabbæ: at multo majus illum Barabbæ poſtponere. Quanta enim, & quam palmaris eſt injuria! Filium æterni Patris, bonitatem infinitam, & cumulum perfectionum omnium poſthabere homini ſeditioſo, furi, latroni, mille ſclerum reo, & mille mortes commerito? Certe iniquitas major excogitari non poteſt: ſed tulit hanc æquo fortique animo Chriſtus. Et tu miſerrimus terræ vermiculus! tu, indigne feras, ſi te aliis poſtponi accidat? Tu triftari, & queri audeas, ſi de te fileatur, & aliorum geſta mille laudibus & præconiis

efferantur ? Nulli dignus es præponi, nisi omnibus velis postponi.

Affectus.

Domine JESU ! si injuria fuit execranda, quod populus Judæorum te Barabbæ postposuerit, heu ! quot, & quantas hæcenus a me tulisti injurias ! a me, qui te DEUM meum, summum, ac infinitum bonum, nunc fædæ corporis voluptati, jam evanidi honoris fumo, modo vili hominum gratiæ toties postposui. Ah ! fleo, & lacrymis deflebo continuis hanc cæcitatem meam. Tu imposterum primus mihi eris in pretio, & primus in amore. Nihil erit extra te, quod plaris æstimabo, & magis amabo, quam te.

ORATIO ECCLESIAE.

Magnificet te, Domine, Sanctorum tuorum Cosma & Da-

Damiani beata solennitas : qua & illis gloriam sempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctos Cosmam & Damianum. Indulgentia 10000. Annorum.

DIES VENERIS.

De Pilato cedente furori plebis.

CUM populus staret pro Barabba, Pilatus timens interrogat plebem : quid agendum cum Christo ? Plebs ardens furore petit incondito clamore **JESUM** ad crucis supplicium. Furenti populo gravioris tumultus metu cedit Pilatus, & lavans manus, testatur palam, se nullam habere partem in morte
inno-

*innocentis : at sanguinem Christi
plebs magis sitiens , itendidem ex-
clamat : Sanguis ejus super nos ,
& super filios nostros.*

Reflexio.

I. **P**ilatus plebem interrogat :
quid agendum cum Christo?

Quam gravis error, & quam tur-
pis lapsus Judicii in Judice? Habuit
Pilatus potestatem absolvendi in-
nocentem : & rogat sententiam a
plebe furente. An justum inde ex-
pectare judicium potuit? Sed cau-
savit hanc animi perturbationem
audacia populi, & natus inde ti-
mor panicus. Ita nempe nihil bo-
ni sperandum est ab animo pertur-
bato. Non est aptus ad exquen-
dum munus suum. Plerumque agit
infeliciter. Tu, quidquid agis, age
caute, & prudenter. Age absque
impetu ac animi perturbatione, &
respice finem.

II. Pi-

II. *Pilatus lavans manus testatur se nullam habere partem in morte innocentis.* Quid prodest Pilato lavare manus, quando inquinatum est cor? Resistendum erat furori plebis, Christus eripiendus populi manibus, vindicanda a morte innocentia, hoc securam reddidisset Pilati conscientiam: at cessit furentibus timidus Judex, & iniqua indulgentia reum se fecit mortis Christi. Qua animi fortitudine te opponis impiorum audaciæ, maxime, quando muneris tui ratio a te id exigit? tunc enimvero serio & impigre resistendum est impiis, & agendum, quod legi DEI est consentaneum: si ita agis, ut ut res cedat infeliciter, recte agis. Non exitum rei, sed animum, & conatum respicit DEUS.

III. *Plebs continuo exclamavit: sanguis ejus super nos, & super filios*

lios nostros. Sane imprudens fuit hic clamor populi, & plane nescientis, quid petat? Petit, ut sanguis Christi cedat ad suam perditionem, sanguis, qui profusus est ad omnium hominum salutem. Sed quoties id ipsum clamas & tu, si non voce, certe operibus, & perversa vivendi ratione? Quoties indignum te reddis pretio sanguinis Christi? Tu in id tota animi contentione incumbes, & continuis ad DEUM precibus flagitas, ut non pereat in te sanguis Christi. Hujus sanguinis pretio uni omnia opera tua, ut pretiosa evadant in conspectu DEI.

Affectus.

DEsolate JESU! Ergo nemo omnium est pro te? Ergo omnes clamant contra te, sitientes sanguinem, & mortem tuam. Ah! utinam mi JESU! si nemo alius, unus ego sim semper tecum, & pro te.

te. Clamo quidem & ego, & clamabo continuo, ut sanguis tuus sit super me: sed non alio fine, quam ut abluat innumerabilia peccata mea, ut sanctificet animam meam, ut me salvum faciat in æternum.

ORATIO ECCLESIAE.

JEjuna nostra, quæsumus Domine, benigno favore prosequere: ut sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a vitiis jejuneamus in mente. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Laurentium in Lucina. Indulgentia 10000. Annorum.

DIES SABBATI.

De Christo flagellis cæso.

Cum nec Christi innocentia, nec nota Barabbæ impietas possent
effi-

efficere, ut a crudeli postulato desisteret populus, aliam viam ad placandam plebis rabiem tentavit Pilatus: permisit Christum voluntati Judæorum. Illi proinde continuo in Christum irruunt, & spoliatum vestibus, ac ferali columnæ alligatum, flagellant crudelissime.

Reflexio.

Pilatus permisit Christum voluntati Judæorum. Heu! quid agit Pilatus? Infantem DEI Filium tradit potestati Judæorum, illorum scilicet, qui semper odio implacabili profecuti sunt Christum. An aliud ab his expectare potuit, quam pænas crudelissimas, aut diram necem inferendam Christo? Sed nunquid & tu sæpe agis cum tua anima, sicut egerunt Judæi cum Christo innocente? Quoties eam
per-

permittis perversæ voluntati tuæ,
& effrenatis tuis cupiditatibus?
His nisi resistas, & voluntatem tuam
continuo abneges, nunquam tran-
quilla gaudebis conscientia.

II. *Christum spoliatum vestibus
columnæ alligant.* En stantem ad
feralem columnam JESUM! Stat
innocentissimus coram sceleratissi-
mis, castissimus coram impuden-
tissimis, immotus, & nudus toto
corpore. O quanta tum confusio
operuit faciem Christi! quantus
inde virgineo cordi pudor, & do-
lor! Sed quanta etiam, & quam
invieta fuit constantia, qua stetit
ligatus ad feralem columnam JE-
SUS? Stetit, ut expiaret oculo-
rum tuorum licentiam, & lasci-
vos mores tuos, quibus non eru-
buiisti toties & tuam, & aliorum
commaculare verecundiam. Eru-
besce tandem, & deinceps ma-
gis satage, tuam modeste tegere,

& alienam lascivis oculis non intueri nuditatem.

III. *Christus flagellatus est crudelissime.* Atrox & cruentum hoc erat intuentibus spectaculum? In tenerrimum Christi corpus flagris, virgis, funibus, & catenis immanitate plus quam barbara sævitum est, adeo, ut pars nulla caruerit vulnere, & e membris omnibus promanarint rivi sanguinei. Quid tu ad hæc homo impudice! Non dum moveris ad detestandam libidinem tuam, quando vides, quam dirum in modum sædæ tuæ, & abominabiles carnis voluptates dilaniarunt corpus Christi! Toto corpore flagellatus est JESUS, quia toto corpore tu lascivis. Cessa ergo, cessa manus tuas, oculos, aures, & linguam tuam spurcis contaminare flagitiis, & præteritæ vitæ lasciviam castis moribus emenda.

Affe-

Affectus.

AH mi JESU! obrigesco, dum inter flagellorum ictus, tot faucium vulneribus, & tuo innatantem sanguini te conspicio. Flagellatus es, & heu! flagellaris Indies: sed a quo? a tot impuris sermonibus, a turpibus aspectibus, ab impudicitis meis. Ah! parce Domine! parce peccatis meis! Ex hoc momento ordiar vitam puram, & immaculatam. Volo deinceps dura pati omnia, & mori potius, quam fœdari.

ORATIO ECCLESIAE.

Presta quaesumus, Omnipotens DEUS: ut qui se affligendo, carnem ab alimentis abstinent, sectando justitiam a culpa jejunent. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctam Susannam. Indulgentia 12000. Annorum.

Septimana V.

Dominica IV. Quadragesima.

LÆTARE.

De Christo spinis coronato.

Dirissima Christi flagellatio nondum exsatiavit furentium satellitum rabiem: aliud invenere tormenti genus. Iterum exuentes Christum, cblamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: arundinem etiam dederunt in dextram Christi, & genu flexu illuserunt ei, expuentes in faciem ejus, & caput arundine percutientes.

Reflexio.

- I. **E**xuentes Christum, cblamydem coccineam circumdederunt

derunt ei. Heu! quousque tandem
 sæviit crudelis furor! Vestem, quæ
 fauciato Christi corpori tenacius ad-
 hæsit, non abque novis vulneribus
 diripiunt, & purpuræ eum induunt
 obsoleta, lacera, fordida. Profe-
 cto detestanda est hæc crudelis Ju-
 dæorum insania, & si recte sentis,
 utique eam detestaris & tu? Sed
 cur non potius detestaris luxum ve-
 stium tuarum, fimbrias tuas, cin-
 cinnos tuos, & tot mollia orna-
 menta tua, quibus tam solícite te
 ornas ad ostentationem, & ocu-
 lorum illecebras, & forte non nul-
 lis ansam præbes peccatorum?
 Hæc sunt, quæ tot doloribus &
 opprobriis expianda erant Christo.
 Vilipende igitur, & projice abs te
 ornamenta terrena, si optas cæle-
 stia.

II. *Plectentes coronam de spi-
 nis imposuerunt capiti ejus.* Dicitur
 non potest, qua vi, quo furore,

& quanto cum impetu spinas, & aculeos intruferint in caput JESU: certe non uno lethali vulnere & cranium, & cerebrum, & tempora fauciata sunt. Omnia hæc gesta sunt ad cumulandos Christi dolores, & ignominiam, ne scilicet Regi ludicro, qualem esse JESUM volebant, ludicrum quoque deesset diadema. Sed quæ tua Christum Regem colendi est ratio? an aliud agis, quando tot impuras cogitationes, tot fædas rerum imagines, tot turpia desideria in animo foves tuo? Tot certe spinis, & aculeis configis caput JESU, quot fædis cogitatibus, & illicitis desideriis commaculas tuam animam.

III. *Etiam arundinem dederunt in dextram Christi, & genuflexo illuserunt ei.* Quod deerat ad perfectum ludicri Regis simulacrum, id sceptrum fuit: huic substituerunt arun-

arundinem, quam inseruerunt manibus Christi, & flectentes genua propudiosis modis illuserunt ei. His modis indignis JESUM traduxerunt Judæi increduli: tu vero credis Christum esse verum Regem ac DEUM tuum, & quomodo audes illi illudere? Manibus Christi inseris arundinem fragilem, quando melioris vitæ proposita quidem concipis, sed levissima tentatione victus iterum infringis. Semper proponere, & nunquam emendare, quid est aliud, quam DEO illudere?

Affectus.

JESU mi! Quid est, quod tu Rex verus Regum, & Dominus Dominantium spinis coronari, indui vili purpura, & pro Rege ludicro haberi volueris? Scio mi JESU! voluisti hæc sustinere propter me. Tot impuræ, tot superbæ, tot prævæ cogitationes meæ, & animi

mei levitas ac inconstantia has capiti tuo pœnas intulerunt. Sed parce Domine ! parce dolenti de peccatis meis ! Non cogitabo post-hac aliud, nisi te JESUM Christum, verum Dominum, ac Regem meum, quem semper colam corde humili, & adorabo in spiritu & veritate.

ORATIO ECCLESIAE.

Concede, *quæsumus omnipotens DEUS, ut, qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum nostrum &c.*

Statio ad sanctam crucem in Jerusalem. Indulgentiæ plenariæ, & liberatio animæ ex purgatorio.

DIES

DIES LUNÆ.

De Christo plebi exhibito a
Pilato dicente : Ecce homo !

Pilatus timens occidere Christum
innocentem , varia agitavit
consilia , quibus eum eriperet mor-
tis supplicio. Idcirco opportunum
esse existimabat , si toto flagellatum
corpore , coronatum spinis , ac san-
guine perfusum populo exhiberet ,
ut miseranda hac Christi specie per-
motus , ab iniquo postulato desiste-
ret. Ducit proinde eum foras , &
plebi spectandum exhibens ait : Ecce
homo !

Reflexio.

1. **P**ilatus Christum in miseran-
da specie populo spectandum
exhibens ait : Ecce homo ! Intue-
re hominem toto corpore flagel-

latum & vulneribus faucium ! Hic homo est DEUS, & Rex tuus. Pro sceptro tenet arundinem, vilem lacernam gestat pro purpura, pro corona spinas. Vah ignominiam detestandam ! Sed quis hanc intulit DEO & Regi tuo ? Hæc est fructus scurrilitatum, & spurcitarum tuarum, quibus toties ad risum provocare sodales tuos non erubescis. Ah ! pudeat tot jocis fordidis contaminare linguam, quam toties tangit sacrum corpus JESU.

II. *Ecce homo !* Intuere hominem spinis coronatum ! Hic homo est DEUS, & Pater tuus. Ridetur & traducitur ab omnibus ; illius divina facies fæde conspuitur, & sacratum caput percutitur arundine. Vah audaciam execrandam ! Sed quis tanta ausus est contra DEUM & Patrem tuum ? Hi sunt fructus inobedientiæ tuæ, qua toties re-
fra-

fractarius es siue parentum, siue moderatorum, siue superiorum tuorum voluntati, ac imperio. Ah! quando tandem altius in animum demittes, & vitam diriges juxta illud cæleste oraculum: qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.

III. *Ecce homo!* Intuere hominem sanguine perfusum! Hic homo est DEUS, & Magister tuus. Huic illuditur tanquam fatuo, hic habetur pro stulto, vilipenditur, spernitur, mille opprobriis afficitur a vilissimis homuncionibus. Vah insaniam diris omnibus devovendam! Sed quis tot opprobriis affecit DEUM & Magistrum tuum? Hi sunt fructus obfirmatæ in malo voluntatis tuæ, qua continuo resistis tot sanctis inspirationibus, & conscientiæ stimulis, & sequi renuis monita & doctrinam Christi. Ah! merito time: ne olim audias
au-

audias a divino Iudice triste illud :
Vocavi te, & renuisti, in interitu
tuo ridebo.

Affectus.

JESU mi ! Rex supreme ! Pater
amantissime ! Dilectissime Magi-
ster ! Tuis me totum addico ob-
sequiis, doctrinæ, & exemplis.
Accipe me in subditum, filium, &
discipulum tuum. Tibi soli deinceps
serviam, mandatis tuis obe-
diam, doctrinam tuam sequar. Sem-
per ero subditus fidelis, filius obe-
diens, & humilis discipulus tuus.

ORATIO ECCLESIAE.

Presta, *quesumus*, Omnipotens
DEUS : ut observationes sa-
cras annua devotione recolentes,
& corpore tibi placeamus & mente.
Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctos quatuor Corona-
tos. Indulgentia 10000. Anno-
rum. **DIES**

DIES MARTIS.

De Christo iterum accusato
apud Pilatum.

*V*iso tam miserando flagellati,
& spinis coronati Christi simulacro sperabat Pilatus mitigandam
Judeorum sevitiem, & flectendos
animos ad saniora consilia: sed
actum egit, iterum iterumque tam
Pontifices, quam ministri crucem,
& mortem Christi inclamant: cla-
moribus causas addunt: quia Fi-
lium DEI se dixit, & quod leges &
Jura id exigant.

Reflexio.

1. *P*ontifices & ministri incla-
mant crucem & mortem
Christi! Debuissent Pontifices &
ministri compescere clamorem
plebis, & contra furorem ejus
tueri

tueri JESUM innocentem: at illi præ reliquis ardebant, & vocibus repetitis postulabant mortem Christi. Sic maxima sæpe scelera fiunt a maximis, ab illis scilicet, quorum interest ea punire, & extirpare. Cave tu, qui cæteris præes, cave diligenter: ne verbo, aut exemplo corumpas eos, quos erudire debes, & dirigere in viam salutis. Væ tibi! si illis sis author impietatis, quibus dux esse debes ad culmen virtutis.

II. *Inclamant mortem Christi, quia Filium DEI se dixit.* An ergo tam grande nefas est, & morte crucis piandum, esse DEI Filium? An non potius signum & nota est melioris vitæ, ac æternæ beatitudinis? Sed aliter fere sentit, & comparatus est infelix mundus. Plerumque odio habet filios DEI, & cur? quia pravis sæculi moribus se nolunt conformare. Interea quanto magis
hos

hos mundus cruciat, tanto illis prodest magis: virtus eorum in infirmitate perficitur, & rebus adversis cumulantur merita. Tu nunquam formida dici, & esse filius DEI. Si talis es: habebis JESUM constantem in adversis socium, & fidelem adiutorem.

III. *Inclamant crucem Christi, quod leges id exigant.* Quod furor imperavit, id legi tribuunt, ut specioso virtutis colore scelus obtegant. Ubi extat illa lex? quis? aut quando eam condidit? An non aliam legem in cordibus hominum posuit DEUS, quæ crucifigere vetat innocentem? Cur huic non obtemperant? Nempe circumferunt legem in ore, sed in animo gerunt odium, & spirant vindictam. O perversos hypocritas! sed & te perversum! qui legem Christi observas tantum ad speciem, ac fere in iis, quæ in hominum

num oculos cadunt : clam autem heu ! quoties eam violas fædis criminibus ? Scito : quidquid agis in abscondito , olim prædicabitur super tecta.

Affectus.

JESU Christe, Fili DEI vivi ! Tu ad crucem posceris , quia Filius DEI es, qui venisti in hunc mundum , ut pretioso sanguine tuo mundum redimeres. O quantas tibi debeo gratias , quod mei amore in terras descendere , & tanta pro me pati sis dignatus. Domine ! non fugiam deinceps quælibet adversa pati amore tui , ut non solum dici , sed etiam esse mereas filius DEI.

ORATIO ECCLESIAE.

S*Acra nobis , quaesumus Domine , observationis jejunia , & pia conversationis augmentum , & tuae pro-*

propitiationis præstent auxilium.
Per Dominum &c.

Statio ad S. Laurentium in Damasco. Indulgentia 10000. Annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum.

DIES MERCURII.

De Christo ad mortem condemnato.

Cum populus mortem Christi incondito clamore itendidem postularet, & furor illius ac tumultus semper magis invalesceret, adeo, ut non aliter sedari posse videretur, timidus tandem cessit Pilatus, & iniquissimis postulatis morem gerens Christum damnat ad mortem. Plene itaque Judæorum furori, atque odio satisfacere volens, eum tradi-

dit voluntati eorum, ut crucifigeretur, quam mortis sententiam humili corde acceptat JESUS.

Reflexio.

I. **P**Opulus incondito clamore, postulat mortem Christi.

Quis populus est adeo immitis, audax, & crudelis, ut non exhorrescat postulare mortem innocentis? Est populus, quem tantopere dilexit JESUS, cujus salutem quæsit unice, cui amorem suum tot præclaris beneficiis est contestatus: ille, ille populus Christi mortem fitit, petit, instat, urget, clamore, tumultu, furore. Abominaris hanc enormem populi audaciam & ingratitude? Sed cur non magis abominaris tuam? Nunquid tu ille es? qui Christi mortem postulasti toties, quoties ultro quæсивisti peccandi occasiones & pericula, in quibus, quantum erat
in

in te, denuo occidere voluisti Christum. Statue ergo manibus, pedibusque fugere has ædes, hos sodales, hæc conventicula, in quibus toties ad mortem postulasti Christum.

II. *Pilatus Christum damnat ad mortem.* Vah iniquam, & crudellem Pilati sententiam! Toties agnovit Christum innocentem: & nihilominus damnat ad mortem. Tradit insuper voluntati eorum, quos novit esse hostes Christi infensissimos, & infano in illum odio, ac furore accensos. An major in Judice excogitari iniquitas, & crudelitas potuit? At si tanta, & tam atrox fuit iniquitas Pilati, qui Christum ad mortem damnavit semel, quanta esse debet tua, qui eum millies peccatis tuis occidisti? Ingemisce: quia multiplicatæ sunt iniquitates tuæ super numerum arenæ maris.

III. *Christus acceptat mortis sententiam.* Quam humili corde, quam placido vultu, & animo prompto sese subjicit ferali sententiæ JESUS innocens! Obedit DEUS homini, creator creaturæ, virtus sceleri: & hoc amore tui. An tanta demissione atque animi promptitudine tu homo obedis DEO? Ah! quam segnis, & imperfecta est tua erga DEUM obedientia! Toties reluctaris obtemperare consiliis & præceptis illius: tergiverfari etiam te submittere dispositionibus, & queris contra DEI providentiam. Eja age, JESUM respice, & te, tuæque omnia divinæ dispositioni committe. Novit DEUS infinite sapiens, quid tibi profit: non vult infinite bonus, quod non prodest.

Affectus.

JESU humillime! tu hostium tuorum voluntati te ultro subjecisti,

sti, factus obediens usque ad mortem. Ne permittas me, quæso, perversæ voluntati meæ! Tuæ me totum quantum subjicio dispositioni ac providentiæ. Age mecum, sicut scis, & vis. Nihil volo, nihil nolo, præterquam quod tu vis, aut non vis. Fiat de me, circa me, & mea omnia sanctissima voluntas tua nunc, & in sæcula.

ORATIO ECCLESIAE.

DEUS, qui & justis præmiâ meritorum, & peccatoribus per jejunium veniam præbes: misere supplicibus tuis, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctum Paulum. Indulgentia 10000. Annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum.

DIES JOVIS.

De Christo bajulante crucem.

Pronuntiata mortis sententia, ut crucifigeretur, *JESUS* absque ulla tergiversatione humeros suos supponit ligno crucis: hanc bajulans exiit in eum, qui dicitur *Calvaria* locum. Ne succumberet gravissimo ponderi, apprehensus est *Simon Cyrenensis*, veniens de villa, ut in cruce ferenda adjuvaret *JESUM*, quem secuta est ingens multitudo populi, & mulierum.

Reflexio.

I. **C**hristus bajulans crucem exiit in *Calvaria* locum.

Dici non potest, quam suavi affectu impositam sibi crucem amplexus sit Christus! Non eum absteruit

ruit crucis infamia, non vulnerum ac dolorum acerbitas, non gravitas ponderis viribus major; bajulavit crucem cum gaudio, in ea portans totius mundi delicta. An non & tu pondus addidisti peccatis tuis cruci Christi? Et tamen audes conqueri, murmurare, lamentari, si cruce modica te premat DEUS. Siccine solus totum crucis pondus portabit JESUS innocens? & tu peccator! tot pænas commeritus, continuo deliciis & voluptatibus afflues?

II. *Apprehensus est Simon Cyrenensis, ut in cruce ferenda adjuvaret JESUM.* Quamvis invictus, particeps tamen crucis Christi est factus Simon. Accendit hoc illi lumen mentis, ut Christum esse DEUM crederet, & attulit donum gloriæ, ut eum, in quem credidit, æternum possideret. Si DEUS tantas gratias largitus est illi, qui cum

Christo tulit crucem invitus: quantas dabit tibi, si volens, lubensque feras? Eja ergo! vices Simonis obi, & socia te Christo in ferenda cruce. Non absterreat te pondus, non labor ferendi crucem, nec infamia crucis. Porta illam, non invitus, sed animo lubenti: & senties, quod non sit alia tutior ad cælum semita, quam via crucis.

III. *Christum secuta est ingens multitudo populi, & mulierum.* Beatum populum! beatas mulieres! quibus licuit sequi JESUM: at non omnes ad sequelam Christi una eademque impulit ratio. Istos movit dolor, & commiseratio, illos, ut Christum crucifigerent, alios, ut spectarent crucifixum: sed heu! neminem, ut tolleret crucem, & crucifigeretur cum eo. Quæ tua (si tamen sequeris) est Christum sequendi ratio? An non prospera te magis trahunt, quam adversa? Cur

usque adeo horres crucem, & fugis adversitates, quibus traheris ad DEUM? Age! tolle crucem tuam, quam DEUS mittit, & sequere JESUM, ferendo illam cum gaudio. In cruce vita, in cruce solatium, in cruce salus, & æterna felicitas.

Affectus.

BONE JESU! Tu cum gaudio es amplexus, & portasti crucem, ut & ego patienter ferrem, & amarem crucem. Non ego deinceps aliud quæram solatium, quam in cruce. Quandocunque, & qualiscunque crux te volente mihi obveniet, eam lubens acceptabo de manu tua. Suspirabo itendidem, cum Andrea: Salve o bona crux! diu desiderata, folicite quæsitâ, ardentèr concupita! Accipe me, ut Domino meo reddas me, qui per te redemit me.

ORATIO ECCLESIAE.

PResta quæsumus Omnipotens
DEUS, ut quos jejunia voti-
 va castigant, ipsa quoque devotio
 sancta letificet, ut terrenis affecti-
 bus mitigati facilius caelestia capia-
 mus. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctos Sylvestrum &
 Martinum. Indulgentia 10000.
 Annorum.

DIES VENERIS.

De fletu mulierum in crucis
 bajulatione.

Mulieres, quæ cum reliqua tur-
 ba sequebantur Christum por-
 tantem crucem, plangebant, & fle-
 bant. Hos planctus, & lacrymas
 justus dolor expressit, & affectus
 commiserationis, quo ferebantur in

JE-

JESUM, quem viderant positum in tantis tormentis: at JESUS ad eas conversus ait: Filiæ Jerusalem! nolite flere super me, sed super vosmet ipsas flete, & super filios vestros.

Reflexio.

I. *Christus flentibus mulieribus ait: Nolite flere super me.* Profecto justissimã flendi causam habuerunt filiæ Jerusalem! Excitavit lacrymas, & lamenta mulierum vehemens dolor, & compassionis affectus, quo ferebantur in JESUM fatiscentem sub mole crucis, & propediem crucifigendum: attamen fletum lugubrem, & femineos ululatus prohibuit JESUS, qui crucem portantem sibi putavit cum lætitia. Certe non fletu & lamentis, sed gaudio & exultatione digna est crux, & adversitas. Nota est & signum electo.

torum DEI. Castigat Pater filium, quem amat; & DEUS premit crucibus, quos diligit, & a quibus diligitur. Beatum te! si cruciat te.

II. *Flentibus mulieribus ait JESUS: Super vosmet ipsas flete.*
 En: quæ lamentorum & fletus tui causa esse debeat? non alia, quam tu ipse, & innumerabilia peccata a te commissa. Heu! quam lacrymas amaras sæpe fundis, si forte mors patronum vel amicum auferat; si honoris, famæ, opum, aut gratiæ Principis jacturam facias, si de valetudine, aut vita pericliteris: & cur non magis defles DEI offensas a te commissas, quibus toties inæstimabilem DEI gratiam, æterna cæli gaudia, DEUM perdidisti? Ah! non cessa, donec vivas, flere ac deflere hæc animæ damna lacrymis inenarrabilibus.

III. *Flen-*

III. *Flentibus mulieribus ait***JESUS** : *Flete super filios vestros.*

Aliam rursus flendi materiam mulieribus suppeditavit JESUS, filios nempe, & filias. O quantam hi sæpe præbent lugendi flendique causam sive parentibus, sive moderatoribus suis? illis scilicet, quorum nimia indulgentia declinarunt a via salutis in vias pravas. An non & tibi hæc causa flendi est? Si salus tua tibi cordi est, non modo tua, sed & aliena deflebis crimina, & ea maxime, quorum tu quomocumque causa extitisti. Væ tibi! nisi amare defleas scandala, quæ dedisti pusillis, & innocentibus. Sed nec flere satis est: probæ vitæ exemplis compensanda sunt damna, quæ pravis moribus, incautis sermonibus, nimia indulgentia, aut negligentia tua intulisti proximo.

Affe-

Affectus.

Quis tribuet oculis meis abundantem lacrymarum fontem ad eluendas sordes & maculas, quibus mea & aliena crimina fæderunt infelicem meam animam. O bone JESU ! Permitte me miscere lacrymas meas pretioso sanguini tuo, quem effudisti pro meis, & totius mundi delictis. Hoc sancto lavacro lava me, quæso, ab iniquitatibus meis, & a peccatis meis munda me : sed & ab alienis parce seruo tuo.

ORATIO ECCLESIAE.

DEUS ! qui ineffabilibus mundum renouas Sacramentis : presta quæsumus, ut Ecclesia tua, & æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxiliis. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S.Eusebium. Indulgentia
10000. Annorum,

DIES

DIES SABBATI.

De crucifixione Christi.

Vix lassus, totusque fatiscens ad montem Calvariae pervenit JESUS: & continuo iterum vestibus exuitur, ac nudus raptatur ad lignum crucis: huic violenta manu insternitur resupinus, & per repetitos malleorum ictus manus, pedesque ferreis clavis affigitur: atque ita crucifixerunt eum.

Reflexio.

I. *Crucifixerunt eum.* Ergo huc tandem recidit DEI Filius, ut velut post natos homines sceleratissimus ageretur in crucem? Crucifigitur exutus vestibus, toto corpore nudus, repletus vulneribus, inter dolores & cruciatus acerbissimos. Obstupescis ignomi-

miniosum hoc, & atrox supplicii genus? Obstupesce potius, ac detestare peccatorum tuorum malitiam & multitudinem, quæ tam atrocis supplicii causa extiterunt. Tu licitor fuisti, tu Christum in crucem egisti toties, quoties in peccatum grave consensisti. Ecquando tandem peccatis tuis offendere, & DEUM tuum defines crucifigere?

II. *Crucifixerunt eum.* Exercuerunt in Christo crudelitatem plus quam barbaram. Perfoderunt tenerrimas manus ejus, & ferreis clavis, iisque trabalibus affixerunt cruci. Horrescit animus cogitare inauditam hanc barbariem: sed & horret cogitare impias manus tuas, & crudelem dextram, quam toties ad illicitos tactus, & sæda carnis oblectamenta extendisti. Hi tactus, hæc sensuum oblectamenta sunt scelera illa, quæ repetitis ictibus, ac vulneribus in-

no.

innocentes Christi manus perfoderunt: & tamen non dum cessas impuris manus tuas commaculare flagitiis?

III. *Crucifixerunt eum.* A manibus ad pedes transit impia crudelitas. In hos pariter clavis ferreis, & ferocibus malleorum ictibus sævitum est. Vulnere erant tanta, ut e singulis, velut e scaturigine, torrentes sanguinis prorumperent, qui omnem circum terram inundabant. En: quas pœnas Christi pedibus attulere impii gressus tui? Ut fruaris voluptate male concupita, ut nummis aureis crumenam dites, ut elucteris ad evanidi honoris culmen, quæ non tentas? Pro servanda, aut recuperanda DEI gratia, pro augenda DEI gloria heu! quam parum, aut nihil agis? Inutiles sunt omnes gressus tui, quos non dirigis ad DEI gloriam, & animæ tuæ, pro-

K

ximo-

ximorumque tuorum æternam salutem.

Affectus.

Domine ! si est iniquitas in manibus, aut pedibus meis, tu, quæso, pro illa satisfac ! Offer dolores & vulnera manuum & pedum tuorum æterno Patri ad impetrandam misericordiam mihi misero peccatori. Custodiam deinceps ab illicitis manus meas, & puras ad te levabo. Sed & gressus meos te adjuvante non alio dirigam, quam in viam salutis æternæ.

ORATIO ECCLESIE.

Flat Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostra devotionis affectus : quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia : si tue sint placita pietati. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad S. Nicolaum in carcere.
Indulgentiæ plenariæ,

Septi

Septimana VI.

Dominica Passionis.

JUDICA.

De Christo crucifixo.

Affixus cruci JESUS omnium oculis conspiciendus proponitur. Pendet crucifixus calum inter & terram medius, & tot jam antea vulneribus, ac doloribus repletus, rursus saturatur opprobriis, & blasphemis. Tulit hæc fortiter humilis JESUS, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua suspensus obiit inter duos latrones, quorum a dextris unus, alius a sinistris.

Reflexio.

I. **A**ffixus cruci JESUS omnium oculis conspiciendus proponitur.

nitur. Aspice in authorem fidei
JESUM. Pendet in ligno crucis
 cæli terræque conditor, duos inter
 latrones medius : & cur ? ut tibi,
 & illis securum iter ad cælum mon-
 stret per viam crucis. Quantum
 tu hæcenus aberrasti ab hac regia
 cæli via ? tu, qui terrenis usque
 adeo voluptatibus inhias, & fere
 tantum mollia quæris ? Non pu-
 det te esse inimicum crucis Chri-
 sti, qui cruce Christi redemptus es ?
 Utinam faniora te doceat **JESUS**
 crucifixus. Si crucem fugis, salu-
 tem odisti.

II. *Christus crucifixus rursus
 saturatur opprobriis, & blasphemis.*
 Ah ! quanta sunt, & quam innu-
 mera, quæ passus est pendens in
 cruce **JESUS** ? Satiari poterat si-
 ve Principum, sive populi crudeli-
 tas tot vulneribus, & doloribus,
 quibus repletus fuit Christus cru-
 cifixus : at his superaddidit pro-
 bra,

bra, contumelias & blasphemias. Tua nimirum est hæc crudelitas homo impie! qui nullum finem peccandi facis. Tu es audax ille, & crudelis, qui vulneribus addis blasphemias, quando scelera cumulas sceleribus. Siccine compateris Christo pro te crucifixo?

III. *Christus factus est obediens usque ad mortem crucis.* Tantus erat in Christo amor crucis, & obedientiæ, ut nec vulnera, nec opprobria eum abstrahere potuerint ab amplexu crucis. Perseveravit in ea obediens usque ad mortem. Temporalem vitam auspicatus ab obedientia, eam pariter obediendo posuit, famam, sanguinem, vitam, se denique totum consecrans voluntati Patris. Si ita æterno Patri obedivit JESUS, cur tu vilissime homuncio! toties resistere audes divinæ illius voluntati? Cur monitis parentum, superiorum, aut

moderatorum tuorum in quibus DEUM respicere deberes, tam segniter obtemperas? Non es discipulus e schola Christi, si non studes perfecte imitari Christum obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis.

Affectus.

HUmillime JESU! Tu crucem subire voluisti, ut mihi ostenderes, securam ad cælum semitam non esse aliam, quam viam crucis. Fierine poterit, ut deinceps magis quæram mundi delicias, opes, famam, honores, gratiam hominum, quam regiam viam crucis, & salutis? Aliud mi JESU! aliud suadet tuum sanctum exemplum. Non erit deinceps aliud mihi solatium, quam crux, & passio Domini mei JESU Christi. Hæc erit spei meæ anchora, hæc refugium misero, hæc salus perditio.

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

Quesumus Omnipotens DEUS!
familiam tuam propitius re-
spice : ut te largiente regatur in
corpore, & te servante custodia-
tur in mente. Per Dominum no-
strum &c.

Statio ad sanctum Petrum. Indul-
gentia 28000. Annorum, & tot-
idem quadragenarum, & remis-
sio tertiæ partis peccatorum.

DIES LUNÆ.

De Christo felle potato.

Copiosi sanguinis seu in flagella-
tione, seu in spinea coronatio-
ne effusio, lassitudo ingens ob cru-
cis pondus tanto itinere portatum,
difficilis Calvarie montis ascensus,
ipsa denique crucifixio maximam

Christo sitim causare. Hanc cum diserte indicaret, & potum anhelaret sitiens JESUS, obtulerunt illi vinum felle mixtum: quod, cum gustasset, noluit bibere.

Reflexio.

I. **C**hristus sitim indicat, & potum anhelat. Ergo etiam sitire Christus voluit, & potum anhelare in cruce? Petit pauxillum aquæ, qua urentem sitim relevare possit: sed hæc, proh barbariem execrandam! quæ canibus conceditur, sitienti Christo negatur. An non par tua cum Christo agendi est ratio? O quam modicum est, quod ille a te petit ad restinguendam sitim, qua sitit salutem animæ tuæ! Petit, ut a vili creatura sinistrum affectum abstrahas, ut hoc, vel illud peccandi periculum fugias: & tamen id toties Christo

sto negas. An negabis etiam deinceps?

II. *Obtulerunt ei vinum felle mistum.* Christo lasso, exanguis, crucifixo, ac morienti robur aliquod, & levamen addi debuit: sed ecce! propinant illi potum amarissimum, vinum felle mistum. O dona impia! O pocula barbara! Siccine potari debuit JESUS sitiens, ut cruciaretur magis bibendo, quam sitiendo? Sed quid tu propinas salutis tuæ sitientissimo JESU? quid? nisi terrenarum voluptatum amaritudinem. Ah! quam amaræ & felle mixtæ sunt omnes mundi & carnis deliciæ! Earum extrema fere luctus occupat, & nimius dolor. Si cupis gaudium sine amaritudine, illud quære in pura conscientia, & vita sancta.

III. *Cum gustasset, noluit bibere.* Vinum amarum solummodo gustavit JESUS, non bibit. Gustavit illud, ne

etiam palato suum deesset tormentum : sed bibere recusavit, quia felle mistum. Respuit nempe DEUS, quidquid purum non est: nec placent illi bona, quæ malis mixta sunt. Vide: ne sinistra intentione corrumpas tua bona opera. Hæc ita agere stude, ut nihil teporis, nihil vanæ gloriæ, nihil amoris proprii admisceas. Non erit DEO gratum obsequium tuum, si negligenter peragas, aut si non peragas corde puro & sincero.

Affectus.

Domine JESU! Parce quæso negligentiae & turpi parsimoniae meae, qui nihil hactenus perfectum, & gratum divinæ Majestati tuæ obtuli. Opera mea bona heu! quantum habent admixtum malitiæ? nunc illa corrumpit negligentia, nunc vana gloria, nunc amor proprius: at nihil illa corrumpet deinceps. Quidquid agam,
id

id agam propter te, tibi soli placendi studio, ad majorem tui nominis gloriam & honorem.

ORATIO ECCLESIE.

Sanctifica, quaesumus Domine, nostra jejunia, & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad Sanctum Chrysololum.
Indulgentia 10000. Annorum.

DIES MARTIS.

De reliquis illusionibus Christi in cruce.

Quem in cruce pendentem felle, & aceto potarunt, eidem etiam illuserunt sarcasticis dictis Judaei. Transeuntes crucem moverunt capita sua, & temere insultarunt ei,
nunc

nunc ridendo illius omnipotentiam, quasi vero, qui alios salvos fecit, semetipsum non possit salvum facere, nunc oggerendo collata in alios beneficia, nunc obtrudendo patrata miracula, nunc per ludibrium incitando, ut, si filius DEI est, descendat de cruce.

Reflexio.

I. **T**Ranseuntes crucem moverunt capita sua, & temere insultarunt ei. Quam altas fixit radices in animis Judæorum odium erga JESUM! Quem vulneribus ultra cruciari non poterant, eum lædere lingua, & gestu tentant: quando desunt crimina, oggerunt beneficia, & cui compati debebant, illius ridiculo gestu cumulant dolores. Utinam non tu pariter ita insultes Christo pro te crucifi-

cifixo! Si non verbis, insultas certe factis: tu, qui spernis humilitatem Christi, & elato supercilio tantum ad alta tendis: tu, cujus peccatus infana opum & honoris cupiditate flagrat. An hoc est aliud, quam temere insultare humili, contempto, & pauperi JESU?

II. *Dicebant: alios salvos fecit, semetipsum non potest salvum facere.* Quantum dolorem hæ voces sacrilegæ excitaverunt in corde JESU! Explodunt divinam illius omnipotentiam, quam tot ubique miraculis testatam fecit: hanc vilipendunt, quasi vero, qui tot ægros confanavit, tot dæmonia ejecit, tot mortuos suscitavit, se ipsum ab infami crucis morte liberare nequeat. O quoties etiam tu vilipendis DEI potentiam anime pusillanimis? Diffidis: quasi juvare te non velit, aut non possit DEUS. Eja! confide: non minus infinite potens,
ac

ac bonus est DEUS. Potest, & vult juvare te, nec aliud illi usitatum magis, quam confortare sperantes in se. Omnia ergo poteris in eo, qui te confortat.

III. *Clamabant : Si filius DEI est, descendat de cruce.* Exploferunt paulo ante, & vilipenderunt Christi omnipotentiam, modo etiam audent fidem negare æternæ veritati. Nolunt credere verum esse DEI filium, nisi manibus eorum & potestati sese eripiat, & descendat de cruce. O cæcitatem incredibilem! quasi vero signum esset filiorum DEI, fugere crucem. Imo vero non descendit de cruce Christus: quia filius DEI est, missus a Patre, ut redimeret mundum per crucem. Admirare invictam Christi in cruce perseverantis constantiam: sed magis admirare immensum illius erga te amorem, propter quem non descendit, sed perseveravit

ravit in cruce. Quid hætenus eidem reddidisti? Quid reddes imposterum?

Affectus.

JESU amantissime! quam invicta patientia inter illusiones, risus, & opprobria perseverasti in cruce, & hoc pro mea, & totius mundi salute? Sed quam ingratum me hætenus præstiti tanto erga me amori? Tu de cruce descendere noluisti amore mei, & ego detrecto tolerare crucem amore tui: ego, qui propter peccata mea tot cruce & mortes sum promeritus. Domine! Non subtraham amplius humeros qualicunque cruci, cui me affixerit tua sancta voluntas. Felicem me! si merear tecum vivere & mori in cruce.

ORATIO ECCLESIAE.

NOstra tibi Domine, quæsumus, sint accepta jejunia, quæ nos
 &

Et expiando, gratia tua dignos efficiant, Et ad remedia perducant eterna. Per Dominum nostrum Et c.

Statio ad sanctum Cyriacum. Indulgentia 10000. Annorum.

DIES MERCURII.

De primo Verbo Christi in cruce.

CHristus acerbissimis penis, Et doloribus excruciatuſ, ac prope diem in cruce moriens ultimas preces fundit ad DEUM Patrem. Orat primum pro inimicis, Et crucifixoribus ſuis, exclamans toto cordis affectu: Pater! dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.

Refle-

Reflexio.

I. **C**hristus moriens exclamat :
Pater ! dimitte. Quid agit
 JESUS, quando veniam impetrare
 cupit crucifixoribus suis ? Suspirat,
 & clamat ad Patrem. Hæc scilicet
 est certa nota filiorum DEI, in omni
 necessitate aspirare, & clamare ad
 DEUM Patrem. Ad hunc oravit
 moriens in cruce Christus maximo
 cum affectu, summa cum fiducia, &
 mixtis sanguine lacrymis. Quid tu
 agis, si quando subita necessitate
 premeris, aut gravis te cura angit ?
 Cur brachio inniteris carneo, &
 quæris unice humanum auxilium ?
 Eja ! fursum respice ! Clama ad
 DEUM, ora ad Patrem cum spe,
 ac fiducia : hic nunquam non ex-
 audiet humiles preces obedientis
 filii.

II. *Christus moriens exclamat :*
Pater ! dimitte illis. Qui sunt illi,
 L pro

pro quibus ad Patrem orat Christus, ut illis impetret veniam delictorum? Sunt inimici, & crucifixo- res Christi: sunt illi, qui non modo viventem, sed & morientem extremo odio persecuti sunt: illi, quibus defuit ultra in JESUM sæviendi tempus, non sæviendi voluntas. O heroicam & immensam Christi erga inimicos charitatem! Hæc est illa virtus, quæ exerceri non potest, nisi immoderatis animi affectibus bene domitis. Si solum diligis pios, mansuetos, indoli ac moribus tuis accommodatos, quid magni præstas? at diligere, & benefacere illis, qui ode- runt te, hic labor, hoc opus est, hoc docet in cruce moriens, & orans ad Patrem Christus.

III. *Christus moriens exclamat: Pater! dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Non fat erat morienti Christo pro inimicis ora-

re

re ad Patrem. Orans insuper excusat atrox crimen inimicorum, quod patrarunt occidendo innocentem. Non id tribuit odio, aut sæviendi libidini, sed ignorantia: nec attendit, qualis fuerit eorum crudelitas: sed quæ & quanta sit sua erga illos charitas. Si tali amore amares proximum tuum, non toties temere eundem judicares, aut famæ detraheres alienæ. Cur intentionem non excusas, quando scelus non potes? cur non etiam id tribuis ignorantia, imbecillitati, aut vehementia tentationis? Ita sane ageres, & cogitares, si proximum tuum, sicut te ipsum diligeres.

Affectus.

JESU mi! mi dulcis JESU! Itane tui, & dolorum tuorum es immemor, ut quando vita extremis jam jam in labris fedet, adhuc recorderis mei, & inimicorum tuorum,

rum, pro nobis orans ad Patrem? Domine! fierine poterit, ut aliquando obliviscar tui, & tanti erga me amoris? Non mi JESU! non obliviscar in æternum. Satagam, ut sicut in me abundavit iniquitas, ita etiam abundet charitas; charitas erga te Dominum & DEUM meum, charitas erga proximum meum, & charitas etiam erga inimicos, & persecutores meos.

ORATIO ECCLESIAE.

*S*anctificato hoc jejunio, DEUS tuorum corda fidelium illustra: Et quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctum Marcellum. Indulgentia 10000. Annorum.

DIES

DIES JOVIS.

De secundo Verbo Christi
in cruce.

DUm Christus pependit in cruce, medius inter duos latrones, unus eorum est ausus insultare Christo, dicens: Si tu es Christus, salvum fac te met ipsum, & nos: sed alter penitens ac timens DEUM, & indigne ferens loquentis audaciam, increpat maledicam, atque spe, ac fiducia plenus orat ad JESUM: Domine! memento mei, cum veneris in Regnum tuum: & continuo audivit responsum solatii plenum: Hodie mecum eris in Paradiso.

Reflexio.

- I. **U**Nus ex latronibus ausus est insultare Christo. Quid

mirum, quod homo impius, rapinis, multisque sceleribus longo tempore assuetus, ne quidem morti proximus resipuerit, & ad DEUM se se converterit per pœnitentiam? Est hæc sceleratæ consuetudinis justissima pœna, ut raro exuatur, nisi per mortem, ac fere moriantur in peccatis, qui diu vixerunt in peccatis. Terreat te latronis hujus infelix mors, quisquis peccandi consuetudinem repetitis lapsibus contraxisti. Versaris in aperto salutis discrimine. Aut pravus habitus est exuendus, aut perdenda salus animæ. Vide, quid eligas?

II. *Alter latro orat ad JESUM: Memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Hic latro ad crucem damnatus, & mortem expectans, nec crucem timet, nec mortem. Cupiens dissolvi unice aspirat ad DEUM, & regnum cœlorum, pœnitens ac detestans tam sua, quam
fo-

focii delicta. Habes in hoc latrone exemplum veræ pœnitentiæ, & rectæ dispositionis ad bonam mortem. Disce toto corde te convertere ad DEUM tuum, præcipue in hora mortis. Disce in illa hora orare ferventer, cum viva fide, firma spe, & sincera charitate. Ita mori, est beate mori.

III. *Orans latro audivit responsum* : *Hodie mecum eris in Paradiso.* O responsum solatii plenum ! O pœnitentiæ & orationis vim admirabilem ! Vix latro pœnitens humiles preces ad JESUM fudit, & ecce ! continuo exauditur, & cœlestis paradisus promittitur supplicanti. An non hic vides : quam inscrutabilia sint Judicia DEI ! Latro unus pœnitet, orat, & salvatur : quis non speret in DEI misericordia ? Latro alter blasphematur, moritur in peccatis, & damnatur : quis non ti-

meat DEI justitiam ? Disce cum spe & fiducia, sed & cum timore & tremore operari salutem tuam. DEUS, qui promisit pænitentibus peccati veniam, non promisit peccatoribus pænitendi gratiam.

Affectus.

Domine JESU ! heu ! quantus horror & timor occupat cor meum, quando te video inter duos latrones in cruce pendulum. Scio, quod propter meam salutem sis homo factus, passus, & crucifixus : at contremisco, quando cogito, quod latro unus sit salvatus, & alter æternum sit damnatus. Benignissime JESU ! ad te confugio, ad te clamo, ad te suspiro corde humili & contrito. Memento mei nunc, & in hora mortis meæ, & ne finas æternum perire animam meam, quam pretioso tuo sanguine redemisti.

ORA

ORATIO ECCLESIAE.

Presta, quaesumus, Omnipotens
DEUS, ut dignitas conditio-
 nis humanae per immoderationem
 sauciata, medicinalis parsimoniae
 studio reformetur. Per Dominum
 nostrum &c.

Statio ad S. Apollinarem. Indul-
 gentia 10000. Annorum.

DIES VENERIS.

De tertio Verbo Christi in
 cruce.

Inter ceteros, qui stabant iuxta
 crucem Christi crucifixi, erat
 Maria Mater JESU, & Joannes
 dilectus Christi discipulus: Et hunc,
 & illam, cum de cruce spectasset
 JESUS, utrumque alloquio digna-

tus est suo : ad Mariam Matrem
dixit : Mulier ! Ecce filius tuus !
& ad Joannem Discipulum : Ecce
Mater tua !

Reflexio.

I. **M**aria Mater JESU stabat
juxta crucem JESU. Heu !
quantus dolor penetravit tenerri-
mum cor Mariæ, stantis juxta cru-
cem JESU ! Potuitne absque in-
genti doloris sensu mater spectare
morientem filium, mater tam pia,
filium tam dilectum ? Certe univer-
sos Christi dolores in corde suo
sensit, tulitque Maria. Quam fe-
lix tu esses, ut si quando pati te
contingit, patereris, quemadmo-
dum passa est stans ad crucem,
Christi Maria ! O quam generose
avelleres animum a vanis mundi
gaudiis ! quam constans, & fortis
stares inter adversa ! quam nun-
quam recederes a cruce Christi !

II.

II. *JESUS dixit ad Matrem: Mater! ecce filius tuus.* Quid illud, quo a JESU moriente Mariæ matri commendari meruit in filium discipulus Joannes? Meruit singulari vitæ innocentia, & stabili amore virginitatis, quo præ reliquis excelluit. Hæ erant prærogativæ illæ singulares, quæ fecerunt dilectum Christi discipulum, ac præcipue genuinum Mariæ filium. An tu & dici, & esse mereris genuinus Mariæ filius? Discute vitam & mores tuos: vide aures, oculos, & manus tuas, maxime, vero inspice cor tuum: an sis liber ab omni labe impuritatis? Nec Christi es discipulus, nec genuinus Mariæ filius, nisi sis puro corde, & casto corpore.

III. *Ad Joannem dixit JESUS: Ecce Mater tua.* Non potuit non esse Mariæ filius, cui data est Maria in Matrem. Hæc data est Joanni a Chri-

a Christo moriente. O quanta hæc fuit Joannis felicitas ! profecto tanta, ut in Maria certum pignus acceperit salutis æternæ : sed an minor est tua ? Nunquid & tibi cum Joanne Maria data est in matrem ? Non alio igitur tu posthac illam affectu, & pietate cole, quam qua filii optimi colere solent matrem amantissimam. Recurre ad illam cum fiducia in cunctis necessitatibus : imitare virtutes, præcipue ardentem in DEUM pietatem, modestiam, & puritatem virginæam. Monstrabit illa se tibi matrem, si te monstraveris Mariæ filium.

Affectus.

SANCTA Maria, Mater DEI, & mea Mater ! Liceat te compellare hoc dulci nomine : es enim a moriente filio tuo non solum Joanni, sed & mihi data in matrem. O Mater amantissima ! suscipe me, quam-

quamvis indignum, in filium tuum
perpetuum. Adsis mihi in omni-
bus meis actionibus: nec me de-
seras in hora mortis meæ.

ORATIO ECCLESIAE.

Cordibus nostris, quaesumus Do-
mine, gratiam tuam benignus
infunde: ut peccata nostra castiga-
tione perpetua, voluntarie cohi-
bentes, temporaliter potius macere-
mur, quam suppliciis deputemur æ-
ternis. Per Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctum Stephanum in
monte Cælio. Liberatio animæ
ex purgatorio.

DIES SABBATI.

De quarto Verbo Christi in
cruce.

MOriente Christo hora sexta fa-
ctæ sunt tenebræ super uni-
ver-

versam terram usque ad horam nonam. Eo tempore tantam passus est animi afflictionem Christus, ut a DEO quodammodo derelictus videri posset. Hæ mentis angustia eo impulerunt JESUM, ut quamvis omnibus viribus esset destitutus, tamen exclamaret voce magna: DEUS meus! DEUS meus! ut quid dereliquisti me?

Reflexio.

I. **M**Oriente Christo factæ sunt tenebræ super universam terram. Quid mirum? quod, dum author naturæ moritur, universa rerum natura perturbata sit, & eventibus prodigiosis quasi dolorem testata sit suum. Certe publica mæroris luctusque signa dedit. Ingenti concussa motu terra est. Petræ scissæ sunt. Monumenta aper-
ta

ta sunt : quin imo , obscurato Solis & Lunæ lumine tenebræ factæ sunt per omnem terram , ne tanti atrocitas flagitii , quale fuit mors Christo illata , hominum oculis pateret. Quid tu ad hæc , qui repetitis flagitiis mortis Christi te reum facis ? Non dum moveris ad seriam poenitentiam , quando moriente Christo etiam saxa , & petrae motæ sunt ? Profecto peccatus habes saxo & petra durius , si acerbæ Christi mors contriti cordis lacrymam ex oculis tuis non eliciat.

II. *Christus moriens exclamat voce magna : DEUS meus ! DEUS meus !* In extremis mortis angustiis positus Christus clamat ad DEUM. In hoc solo defixa fuit morientis mens , & spem unice locavit suam. En : quis tandem vocandus sit in auxilium tempore tribulationis , ac præcipue in hora mortis. Non tunc a rebus terrenis

nis mendicanda sunt solatia : continuo ad cælum erigenda mens, & ardentia ad DEUM mittenda sunt suspiria. Vocatus in auxilium DEUS cum vera fide, & firma spe, nunquam deseret afflictum, aut morientem te.

III. *Christus moriens exclamat voce magna : DEUS meus ! ut quid dereliquisti me ?* An tribulatio gravior premere Christum morientem potuit, quam derelinqui a DEO & Patre suo ? Sed & hanc pati voluit JESUS, & est passus animo forti & invicto. Derelictus a DEO non modo DEUM non dereliquit, sed suspiriis & affectibus ardentioribus ad eum confugit. An ita firmiter tu adhæres DEO tuo, ut tam externo, quam interno destitutus solatio, & quasi derelictus a DEO, nihilominus DEUM tuum non derelinquas ? Ah ! miserum te, & infelicem !

quo-

quoties hæcenus dereliquisti DEUM, creatorem tuum? & cur? meminisse pudet! dereliquisti propter momentaneam carnis voluptatem, ob inanem hominis gratiam, propter fumum honoris, aut lucrum vilissimum. Qui tam facile DEUM tuum derelinquis, merito time, ne te quoque derelinquat in hora mortis.

Affectus.

A Mantissime JESU! corporis doloribus non contentus extremam animi derelictionem pati voluisti pro me peccatore. Passus es in cruce quasi derelictus a DEO: DEUM tamen non dereliquisti. JESU mi! ne derelinquas me in tempore tribulationis, aut tentationis, ac præcipue in hora mortis. Tunc maxime mihi adsis tua gratia, & conforta luctantem, ne derelinquam te Dominum meum, ac DEUM meum in æternum.

M

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

Proficiat, quaesumus Domine,
 plebs tibi dicata pie devotionis
 affectu, ut sacris actionibus erudi-
 ta, quanto Majestati tuae fit gra-
 tior, tanto donis potioribus au-
 geatur. Per Dominum nostrum
JESUM Christum Filium tuum,
 qui tecum vivit & regnat in uni-
 tate Spiritus Sancti **DEUS**. Per
 omnia secula seculorum. Amen.

Statio ad Sanctum Joannem ante
 portam Latinam. Indulgentia
 15000. Annorum, & liberatio
 animæ ex purgatorio.



Septi-

Septimana VII.

Dominica Palmarum.

De quinto verbo Christi in
cruce.

Postquam DEI Filius extrema
fuiſſet perpeſſus, ac e membris
omnibus copioſum ſanguinem pro-
udiſſet pro ſalute hominum, ex
tanta ſanguinis profuſione, ſiti cor-
reptus eſt ardentiffima. Hujus ar-
dore ac vehementia ita accenſus
eſt, ut alta voce exclamaret: Si-
tio.

Reflexio.

I. **C**hriftus exclamavit alta vo-
ce: Sitio. Hanc vocem ex-
preſſit ingens linguæ ariditas, &
vehemens ſitis, qua urebatur in cru-
ce Chriſtus. Noluit ſcilicet ſuum

linguæ deesse supplicium, quando jam antea membra reliqua crudelē in modum fuerunt excruciatā. Sed unde tanta Christo morienti fitis? Unde? a licentia oris tui, & effrenata linguæ audacia, qua toties aliena facta, vitam, & mores laceras: a verbis tuis indecentibus, & impuris, quibus, temere ac impudenter toties lædis aures innocentum. Hæc menda linguæ, hæc sunt, quæ urente fiti cruciantur fauces & linguam Christi. At quando tandem pones custodiam ori & labiis tuis, ne ultra prorumpat lingua tua in tot verba malitiæ?

II. Christus exclamavit: Sitio.

Quid illud, quod adeo ardentē sitivit Christus? Sitivit unice tuam, & totius mundi salutem. Hæc fitis non tam corripuit fauces, & linguam, quam intima cordis JESU. O sitim sanctam, & moriente

te

te Salvatore dignam ! Utinam tu illam restinguere satagas sive jugibus pœnitentiæ lacrymis, sive sudore, & labore pro DEI gloria & animarum salute fortiter exantlato, sive alacri Christianarum virtutum studio, & probæ vitæ exemplis. His fere unice restingitur sitis Christi.

III. *Christus exclamavit: Sitio.*

Cur ita exclamavit moriens in cruce JESUS ? Exclamavit, ut dilectionis erga nos suæ patefaceret magnitudinem, propter quam adhuc plura, & majora sitivit pati supplicia pro tua & omnium hominum salute. O quam longe alia est sitis tua ? Tu sitis opum affluentiam, popularem auram, gratiam hominum, voluptates illicitas, quæ omnia sitim tuam non tam restingunt, quam accendunt, nec levamen adferunt sitienti, sed mortem animæ. Ah ! corrige tandem,

corrigere infelicem hanc sitim tuam :
neque aliud posthac sitias , ac christi-
aniam pietatem & justitiam , quam
qui sitiunt ac esuriunt , beati sunt,
& saturabuntur.

Affectus.

Domine JESU ! Tu sitivisti in
cruce meam , & hominum
omnium salutem : Utinam & ego
deinceps aliud non sitiam , quam
æternam salutem animæ meæ , &
omne illud , quod placitum est san-
ctissimæ tuæ voluntati. Largire
etiam Domine ! largire , obsecro ,
gratiam tuam , & da robur animi !
ut exemplo tuo insuper sitiam tri-
stia , & amara : erunt hæc amore
tui mihi suavia , & jucunda.

ORATIO ECCLESIAE.

OMnipotens sempiternæ DEUS,
qui humano generi ad imitan-
dum humilitatis exemplum Salva-

torem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti; concede propitius, ut & patientiæ illius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per Dominum &c.

Statio ad sanctum Joannem in Laterano. Indulgentiæ plenariæ.

DIES LUNÆ.

De sexto verbo Christi in cruce.

Cum pendens in cruce Christus, animadverteret imminere finem acerbissimæ passionis suæ, seque in cursus, ac vitæ termino esse positum, neque superesse amplius, quod ad salutem humani generis æternus Pater ab unigenito suo exigeret, confecto labore, & expleto imperio dixit: Consummatum est.

Reflexio.

I. **C**hristus dixit: *Consummatum est.* Ergo tandem ad finem perducta est Christi vita & Passio. Transiverunt odia, cessarunt illusiones, vulnera, opprobria, cruciatus omnes, quos invicta patientia toleravit Christus, ut te salvaret. Ita nempe tandem transeunt adversitates omnes, quibus charos sibi filios in hac vita non raro premit DEUS: at quantum inde capitur solatium animi, si tolerata sint fortiter, & amore DEI? Noli igitur fugere, nec timere res adversas. Veniunt, a DEO, & ad DEUM ducunt, nec diuturnæ sunt, nec unquam erunt tantæ, quantas amore tui tulit JESUS. Illas solum cruces & pœnas time, quæ te a DEO separant, & æternum durant.

II. *Dixit: Consummatum est.*
Merito id dicere potuit JESUS
mo.

moriens. Præstitit ille omnia, five quæ divina Justitia in criminum nostrorum satisfactionem, five quæ flagrans illius in nos amor ad promerenda nobis cæli præmia exposcebant. Quale putas hæc consummatio morienti Christo peperit gaudium! Tale certe, quod omnia mundi gaudia & voluptates superat quam maxime. An etiam tu gaudebis momento vitæ ultimo, in quo consummabuntur omnia? An gloriari poteris, quod vitæ cursum pie consummaveris, peccata tua rite deflexeris, & datam DEO fidem servaveris, unde accipias coronam justitiæ? Si ita, ne dubita: pretiosa erit mors tua in conspectu Domini; si secus, cogita: quantæ angustiae in hora mortis circumdabunt infelicem tuam animam?

III. *Dixit: Consummatum est.*
Hoc dixit JESUS, postquam ab-

Solvit omnia, quæ DEUS Pater fieri voluit a filio suo. Ita comparatus in agone ultimo, quam placide, & quam beate expiravit JESUS? An pari animi pace perfrueris in horta mortis? Quid est, quod conscientiam tuam tunc possit angere? Forte te anget, quod tantum temporis perdideris otio? quod tot horas impenderis voluptati & mundi vanitatibus? quod male usus sis gratiæ donis a DEO acceptis? quod non impleveris rationes officii, & status tui? O te miserum in illa hora! si ea non præstitisti, quæ præstari a te oportuit ad implendam DEI voluntatem. Heu! quam tristis erit mors tua? quam severum iudicium?

Affectus.

JESU! æterni Patris Fili unigenite! Tu es, qui perfecte consummasti opus redemptionis nostræ, quod

quod imposuit tibi Pater. Quis poterit debitas tibi referre gratias pro tanto erga nos amore? Domine! misericordias tuas cantabo in æternum. Sed & modo fatagam in omnibus ita implere sanctissimam voluntatem tuam, ut in hora mortis cum solatio & tranquilla conscientia dicere valeam. Consummatum est.

ORATIO ECCLESIAE.

DA, *quæsumus*, Omnipotens **DEUS**, *ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficiamus, intercedente unigeniti filii tui Passione respiremus. Per Dominum nostrum &c.*

Statio ad sanctam Praxedem. Indulgentia 25000. Annorum, & remissio quartæ partis peccatorum.

DIES

DIES MARTIS.

De septimo verbo Christi in
cruce.

Postquam consummata fuissent omnia, que prædicta a Prophetis, & scripta erant de Christo, atque supremum jam jam appropinquaret momentum, quo emitteret spiritum, ultimas vires collegit JESUS, & voce magna exclamans ait: Pater! in manus tuas commendo spiritum meum.

Reflexio.

I. **J**ESUS exclamavit voce magna. Quid sibi vult validus iste clamor Christi crucifixi? an exclamat pertæsus multitudine, aut dolorum diurnitate? minime: tulit omnia fortiter, & sustinuit crucem non modo patienter, sed

fed & cum gaudio. Exclamavit voce magna, ut te peccatorum fomno sopitum excitaret ad pœnitentiam, & feriam vitæ emendationem. Et nunquid etiamnum ad cor tuum clamat quotidie, ut tandem exeas ex hac peccandi occasione, in qua toties DEUM offendisti: ut fugias hos pravos socios, qui tot scelerum fuerunt complices: ut exuas hanc sceleratam consuetudinem, quæ te ducit ad interitum ut restituas æs alienum, quod inique accepisti: & tamen adhuc tardas sequi vocem clamantis DEI.

II. *JESUS exclamans ait: Pater!* O dulce nomen Patris! unica filiorum spes & perfugium! Ad hunc suspirat moriens DEI filius, & orat voce magna, & clamore valido: sed & orat magna cum spe ac filiali fiducia in Patrem amantissimum. Hæc scilicet est norma se rite comparandi ad luctam super-

premam pro momento mortis, a quo felix aut infelix pendet æternitas. Hoc tu momentum continuo præ oculis habe, & ad illud te indies comparare stude, sive per vitæ, ac morum innocentiam, sive per repetitos virtutum actus, præcipue fidei, spei, amoris, contritionis & resignationis in DEI voluntatem. His recte anima a terrenis abstrahitur, & DEO unitur.

III. *JESUS exclamans ait : Pater ! in manus tuas commendo spiritum meum.* Quam luculentum specimen filialis sui in Patrem amoris & fiduciæ præbuit Christus moriens ? Spiritum suum, priusquam expiraret, commendat in manus Patris, a quo missus est in hunc mundum. Hic DEUS Pater, sicut erat actionum Christi omnium fons, ac principium, ita fuit finis unicus, & ultimus, ad quem contendit. O utinam & tu non alium finem ha-

habeas, ad quem dirigas vitam tuam, cogitationes, & actiones omnes, quam DEUM creatorem tuum. Æternum felix es, si spiritum tuum aliquando commendare, & tradere liceat in manus Domini, a quo eum accepisti.

Affectus.

JESU Christe ! Fili DEI vivi ! scio me aliquando moriturum : at quando ? ubi ? & quomodo ? id penitus ignoro. Tu es DEUS ac Dominus vitæ meæ, a quo illam accepi : tibi paratus sum illam reddere, quodocunque, ubicunque, & quomodocunque divinæ tuæ placitum est Majestati. Dispone omnia in me, de me, & circa me juxta sanctissimam voluntatem tuam. In manus tuas Domine ! commendo spiritum meum.

ORA-

ORATIO ECCLESIAE.

OMnipotens sempiterne DEUS!
 da nobis ita Dominicae passio-
 nis Sacramenta peragere; ut indul-
 gentiam percipere mereamur per
 eundem Dominum nostrum &c.

Statio ad sanctam Priscam. Indul-
 gentiæ plenariæ.

DIES MERCURII.

De Christo moriente in cruce,

Vix spiritum suum in manus pa-
 ternas commendavit Christus,
 & ecce: adest momentum illud ul-
 timum, quo eheu! in cruce mori-
 tur JESUS: atque ut sincerum &
 ardentem suum, quo in genus hu-
 manum ferebatur, amorem, ipsa
 morte probaret magis, inclinato ca-
 pite tradidit spiritum.

Refle-

Reflexio.

I. *Christus tradidit spiritum.* O grande mysterium! O ineffabilem Christi in genus hominum amorem! Non erat illi satis sustinuisse opprobria, tulisse vulnera, & totum fudisse sanguinem, nisi daret etiam vitam, & spiritum. Hæc dum animo volvis, fierine poterit, ut non ames toto cordis affectu tuum JESUM? illum nempe, qui te amavit usque ad mortem, & ipsa morte amorem probavit suum. Aut ferrum, aut lapis es, si tanto amori non reddas amorem, sed amorem, quem probes castis moribus, piis operibus, & sedula virtutum Christi imitatione.

II. *Christus tradidit spiritum in cruce.* Quantus fuit iste divini amoris erga genus humanum excessus! Suffecisset suspirium unicum, vox unica, unica lacryma ad redem-

N dem.

demptionem totius mundi: Sed non suffecit immenso Christi erga te amor. Voluit tradere spiritum, & mori pro te, & quidem mori morte infami, in ligno crucis. Quid hactenus retribuisti tanto erga te amor? Quid retribues in futurum? Quidquid das, nihil das, nisi te ipsum, & totum des, ac vitam omnem impendas amor, & obsequio DEI usque ad mortem, & si liceat, usque ad mortem crucis.

III. *Christus tradidit spiritum in cruce inclinato capite.* Hoc fuit ultimum perfectæ obedientiæ Christi erga Patrem cælestem argumentum. In omni vita Christus non aliud quæsiuit, quam ut faceret voluntatem Patris sui: nunc moriens illi caput inclinat, ut constaret omnibus, quod factus sit obediens usque ad mortem. Hoc capite inclinato etiam te invitatur ad obedientiæ suæ sequelam:

&

& quomodo hæcenus DEO, & mandatis ejus obedivisti? Invi-
tat te ad poenitentiam, & vitæ
emendationem: an tota animi
contentione in hanc incumbis?
Inclina tandem, inclina cor tuum
ad custodienda DEI tui mandata,
& ad implendam in omnibus san-
ctissimam illius voluntatem.

Affectus.

Domine JESU! An te morien-
tem in cruce intueri possum
mente arida, & ficcis oculis? Tu mi
JESU! tu moreris: & ego pecca-
tor vivo, mille mortes promeritus.
Tu moreris inclinato capite: &
ego vivo corde superbo, & elato
supercilio. Tu moreris in ligno
crucis: & ego vivo inter vana mun-
di gaudia, & illicitas voluptates. O
JESU! sit morstua vita mea: sed
sit vita pura, & imaculata, qua me-
rear mortem sanctam, & æternita-
tem beatam. Hoc oro te per mor-

tem tuam, quam inclinato capite
subiisti in cruce.

ORATIO ECCLESIAE.

PRæsta, quæsumus, Omnipotens
DEUS, ut qui nostris excessi-
bus indefinenter affligimur, per uni-
geniti filii tui passionem liberemur.
Qui tecum vivit & regnat &c.

Statio ad sanctam Mariam Mayo-
rem. Indulgentiæ plenariæ.

DIES JOVIS Sanctus.

De Christi latere lancea trans-
fixo.

JAm Christus inclinato capite tra-
diderat spiritum : & rursum
aliud sui erga nos amoris post mor-
tem præbuit argumentum. Cor
suum, quod unice hætenus illæsum
permanerat, noluit esse sine vul-
nere : admisit, ut unus militum
lan-

lancea latus ejus aperiret, & cor transfigeret, ex quo continuo exiit sanguis, & aqua.

Reflexio.

I. **U***Nus militum latus Christi lancea aperuit? Hoc ergo deerat tot Christi vulneribus, ut etiam latus ejus transfigeretur lancea? Huc impulit DEI filium, flagrantissima charitas, qua te dilexit. Voluit siquidem aperto latere patere aditum ad cor suum, ut plane videres, quemadmodum non modo usque ad mortem, sed etiam post mortem dilexerit suos Dominus. Cæcus es, si in aperto Christi latere non legas immensum illius erga te amorem. Ingratissimus es, si sacratissimum. Christi latus amore tui apertum, peccatorum tuorum jaculis ultra vulnerare non desinas.*

II. *Unus militum latus Christi aperuit lancea, & cor transfixit.* Siccine neque cor Christi manere illæsum potuit? Hoc tu læsisti, quisquis cor tuum usque adeo incustoditum tenes, & tot pravis affectibus pervium. Voluit Christus, hoc cordis vulnere expiare crimina cordis tui, ex quo exeunt tot perversæ cogitationes, tot pravæ cupiditates, aliaque scelera plurima. Ah! moveat te hoc sanctum cor amore tui fauciatum, ut mentem tuam, & cordis desideria avertas a peccatis, & totum te convertas ad cor purissimum Salvatoris tui, in quo habites, vivas, & moriaris.

III. *Ex aperto Christi latere, & corde continuo exiit sanguis, & aqua.* Ergo non modo vulnerari, sed & effundi pro te cor suum voluit JESUS? Dedit guttam ultimam aquæ & sanguinis,

nis, ut consummaret suum erga te
amorem. Hæc aqua, hic sanguis
Sacramenta sunt novæ legis, quæ
profluxerunt ex corde JESU ad
tuam & totius mundi salutem.
Nempe etiam post mortem vivere
tecum voluit JESUS, ac in illo præ-
cipue Sacramento, in quo sunt ab-
sconditi omnes thesauri gratiarum.
Eja ergo! accede, & crebrius ac-
cede sive ad suscipiendum, sive ad
visitandum & adorandum hoc a-
moris Sacramentum, & tepidum
cor tuum nova flamma charitatis ex
hoc amoris incendio inflamma.

Affectus.

O Fons amoris, benignissime JE-
SU! Tuus in me amor ineffa-
bilis est, immensus est. Cor tuum
mihi patere voluisti, ut cor meum
in illud immergerem. Ecce: do-
no tibi cor meum, impurum illud
quidem, & scelerum fordibus ple-
num: sed sanguis & aqua ex pu-

rissimo tuo corde & latere profluens dealbabit illud super hyssopum. Hoc oro abs te corde humili & contrito, & spero firmiter ab infinita tua bonitate & misericordia: quod cor contritum, & humiliatum non despicias.

ORATIO ECCLESIAE.

DEUS, a quo & Judas reatus sui poenam, & confessionis suae latro praemium sumpsit: concede nobis tuae propitiationis effectum, ut sicut in passione sua IESUS Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritum, ita nobis ablato vetustatis amore, resurrectionis suae gratiam largiatur. Qui tecum vivit & regnat &c.

Statio ad sanctum Joannem in Laterano. Indulgentiae plenariae.

DIES

DIES PARASCEVES.

De depositione Christi a cruce, & sepultura.

Post tristem Christi obitum Joseph ab Arimathæa, occultus Christi discipulus, audacter intravit ad Pilatum, & petiit ab eo corpus JESU: quod cum impetrasset, deposuit illud de cruce, involvit syndone, & posuit in monumento suo novo, quod exciderat in petra, & advolvit saxum grande ad ostium monumenti.

Reflexio.

I. **J**oseph ab Arimathæa audacter petiit corpus JESU. Quam pia hæc fuit Josephi audacia! Fuit sane dignum facinus Christi discipulo: cur enim formidaret Pilatum,

tum, qui desiderabat, & quærebat JESUM? An non magis respiciendus illi fuit DEUS, quam timendus imbecillis fragilisque homo? Hoc sanctum documentum altissime cordi tuo imprime: Nihil esse timendum, quando agenda est causa DEI: tum enimvero agendum fortiter, agendum audacter cum spe ac fiducia in DEO. Non te igitur terreat tempesta persecutionis, aut alterius adversitatis, quando vel extirpanda sunt scelestia, vel protegenda Justitia, vel defendenda religio. DEUS erit adjutor, & protector tuus.

II. *Joseph ab Arimathea deposuit corpus Christi de cruce.* Quam facile poterat JESUS descendere de cruce virtute propria, si modo voluisset: sed debuit alienis manibus deponi mortuus, qui descendere noluit vivus. Usque adeo constans fuit in eo, quod semel
recte,

recte, sancteque est amplexus. Habes in Christo, quod imiteris, Christianæ perseverantiæ exemplum. Non est satis bene cæpisse, nisi etiam perseveres in bene cæptis. O quot sunt! qui cæperunt bene, qui a prima ætate illibatam servarunt innocentiam, & diu ambulaverunt in via virtutis: sed heu! declinarunt subinde in vias pravas, ad mundi & carnis oblectamenta, & male finiverunt cursum suum cum jactura salutis æternæ. Non salveris, nisi ad finem usque perseveraveris in via virtutis.

III. *Joseph posuit corpus JESU in monumento suo novo, & ad-*
volvit saxum. Recte sancteque delegit Joseph sepulchrum novum, in quo nullus unquam fuit positus. Tale plane decebat sacratissimum Corpus JESU mox collocandum non in terreno tumulo, sed in cælo ad dexteram DEI Patris. Utinam &
COR

cor tuum, in quo toties reponis corpus & sanguinem Christi, fit semper monumentum novum, id est, purum & immaculatum, in quo nullum peccatum, aut terrenus affectus, sed solus JESUS locum inveniat! Quod si vero recepisti JESUM, & tenes per gratiam, advolve saxum grande ad ostium cordis, scilicet sanctum ac firmum propositum, quo statuas nullius creaturæ causa dimittere JESUM ex tuo corde.

Affectus.

Domine JESU! Utinam dignum parare tibi valeam sepulchrum in corde meo. Est quidem cor meum immundum, & affectuum terrenorum, pulvere sordidum: sed tu Domine! præsentia tua mundum, & sanctum facies. Subi ergo cor meum Domine! subi, & reple illud donis cælestibus. Da: ut totus a te repletus in amore tuo vivam, & in amore tuo moriar,

riar, ac infinitis tuis meritis olim
resurgam ad cæli gaudia, & æter-
nam felicitatem.

ORATIO ECCLESIAE.

Respice, quaesumus, Domine super
familiam hanc, pro qua Do-
minus noster JESUS Christus non
dubitavit manibus tradi nocentium,
& crucis subire tormentum. Qui
tecum vivit, & regnat &c.

Statio ad sanctam Crucem in Jeru-
salem. Indulgentiæ plenariæ.

SABBATUM SANCTUM.

De recessu Matris Christi.

Postquam Maria, Christi ma-
ter, maestis oculis spectasset sa-
cratissimum corpus Filii sui de cru-
ce depositum, atque etiam inter-
fuisset sepulturae illius, plena dolo-
ris,

ris, & lacrymarum avulsit se se ab hominum consortio, & reliquum tempus exegit in oratione, & plangendo, plangens continuo sive acerbam passionem & mortem Christi filii sui, sive Judeos in sua incredulitate obstinatos, denique peccata totius mundi.

Reflexio.

I. **M**aria plangit passionem, & mortem Christi, Filii sui.

O quam multas, & quam justas plangendi causas post Christi obitum & sepulturam habuit Maria? Venit illi in mentem univ-
 sa Christi passio, omnia probra, & contumeliæ Christo irrogatæ, tot flagella, tot spinæ, tot vulnera, quibus fuit excruciatas, mors denique acerbissima, quam subiit in cruce. Hæc volvens
 ani-

ab
um
n-
r-
fi
e-
ta

animo quid aliud, quam plangere continuo potuit Maria? at si adeo planxit Maria pia & innocens, quomodo cogitare tu potes Christum tam enormia pro te passum, pro te mortuum, mortuum morte infami, in ligno crucis, quin amare fleas? tu, qui passionis illius, ac mortis causa extitisti? Ah! non cessa deflere jugibus pœnitentiæ lacrymis innumerable peccata tua, quibus crucia-
sti, crucifixisti, & quantum erat in te, occidisti Christum.

II. *Maria planxit Judæos in sua incredulitate obstinatos.* An non justa hæc fuit plangendi causa? Acceperunt Judæi innumera a Christo beneficia, spectarunt miracula, velut totidem luculenta testimonia latentis in Christo divinitatis; & tamen noluerunt illum credere Filium DEI. Hanc Judæorum pertinaciam jugibus lacrymis plan-

planxit Maria : Et tu, qui agnoscis immensam DEI erga te bonitatem, & sentis innumera beneficia, quæ hætenus in te contulit, & indies confert : tu non prædicabis summum benefactorem tuum ? tu non satages illi servire, & placere in omnibus ? Ah ! non cessa in illum credere, in illo sperare, illum ardentem amare, & laudare, illi perfecte servire, qui nunquam cessat tibi benefacere.

III. *Maria planxit peccata totius mundi.* Si ulla, hæc certe maxima causa extitit planctus Mariæ. Novit illa, quas pænas, quos dolores, quam acerbam mortem tulerit JESUS, ut expiaret peccata mundi, & vindicaret ab interitu genus humanum : sed eheu ! merito timuit innumerabilem eorum multitudinem, quibus Christi passio, & acerbam mors propter peccata sua non esset allatura salutem
anj-

animæ, sed exitium sempiternum? Hæc altius in animum demittens continuo planxit Maria. Quoties & tu peccatis tuis amaras lacrymas elicuisti ex oculis Mariæ? Quoties etiamnum afflictam DEI Matrem tuis relapsibus ad planctum provocas? Ah! desine tandem filius esse doloris, & per vitam puram, & immaculatam esse incipe filius consolationis.

Affectus.

Afflictissima DEI, & mea Mater! Ah! quanti fletus & afflictionis causa tibi extiterunt mea, & totius mundi crimina? Fateor. si considerem delicta vitæ præteritæ, & negligentias meas, non fui filius consolationis, sed doloris: at pœnitet me, & serio pœnitet, quod toties offenderim Filium tuum, & quod toties contristaverim te, Matrem meam.

O

Pro-

Promitto : imposterum tua inter-
 cessione adjutus, non ero tibi am-
 plius causa planctus & tristitiæ,
 sed gaudii, & perpetuæ lætitiæ.

ORATIO ECCLESIE.

DEUS, qui hanc sanctissimam
 noctem gloria Dominica re-
 surrectionis illustras, consecra in fa-
 milia tuae progenie novæ adoptio-
 nis Spiritum, quem dedisti : ut
 corpore & mente renovati puram
 tibi exhibeant servitutem. Per Do-
 minum nostrum **JESUM** Christum
 Filium tuum, qui tecum vivit &
 regnat in unitate Spiritus Sancti
DEUS. Per omnia secula seculo-
 rum. Amen.

Statio ad sanctum Joannem in La-
 terano. Indulgentiæ plenariæ.

PRA-

PRAXIS
PIÆ PEREGRINATIONIS
AD
MONTEM CALVARIÆ.

Ut piam peregrinationem ad Calvaria montem obire possis cum fructu anime, & in memoriam, ac venerationem Passionis Domini nostri JESU Christi, & Matris ejusdem dolorosa, aliqua ante iter, quadam in itinere, ac nonnulla post iter observanda sunt, hæc sunt fere sequentia:

ANTE ITER.

Priusquam te itineri committas, prosterne te domi, vel in aliqua Ecclesia coram imagine Crucifixi, & peregrinationem tuam recta intentione offer JESU Christo pro te passo, & in cruce mortuo, quod fieri poterit modo fere sequenti:

INTENTIO.

Domine JESU Christe, Fili DEI
vivi! qui amore mei non du-

bitasti manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum: Ignosce obsecro mihi misero peccatori! qui ex amore tui, & propter te summe bonum a me offensum de peccatis meis vehementer doleo, ac firmiter propono, eadem proxime confiteri, & te nunquam amplius offendere.

En mi JESU! ad tui, tuæque dolorosæ Matris honorem, in memoriam acerbissimæ Passionis ac mortis tuæ, & in meorum peccatorum satisfactionem, offero tibi hoc iter meum, quod intendo, omnesque passus meos unio cum illis tuis passibus, quos tu mi JESU! cruce onustus ex Jerusalem ad montem Calvariæ mei causa fecisti.

Da, benignissime JESU! da mihi in hoc itinere, ejusdem sacratissimæ Passionis tuæ mysteria ita venerari; ut redemptionis tuæ fructum in me jugiter sentiam, qui
viviſ

vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

IN ITINERE.

In itinere memor esto modestiæ & silentii ad aliorum edificationem. Quare coronam Marianam in manus accipe, & semel, atque iterum rosarium recita cum mysteriis dolorosis: ad singulas vero Christi patientis, & Matris dolorosa Stationes tum per viam, tum in monte Calvaria occurrentes devote recita preces sequentes:

ORATIO

Ad singulas Stationes Christi patientis.

Domine JESU Christe! per acerbissimam passionem tuam, quam pro me peccatore sustinuisti, te humillime rogo: miserere animæ meæ! meorumque mihi veniam peccatorum, quibus tot dolorum causa extiti, & gratiam fi-

nalem clementer concede ! qui
cum Patre & Spiritu sancto vivis
& regnas DEUS in sæcula. Amen.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

ORATIO

*Ad JESUM Crucifixum in monte
Calvaria.*

O JESU mi ! qualem te video ?
qualem intueor ? Tane Rex
gloriæ, inter latrones medius mo-
rriaris ? Heu ! quis te tam infami
ligno affixit ? Ah ! ego, ego sum
sceleratus ille, qui flagitiis meis te
Dominum meum, te DEUM meum,
te JESUM meum, post vincula,
opprobria, sputa, flagella, & spi-
nas, tandem etiam in crucem egi.
Pendes in cruce mea culpa ! mea
culpa ! mea maxima culpa !

Quid agam, mi JESU ! quo me
convertam, nisi ad hanc ipsam Cru-
cem tuam ? Ad hanc igitur cum pœ-
ni-

nitente Magdalena prostratus, amore tui, & propter bonitatem tuam infinitam a me toties offensam ex intimo corde doleo. Nunc, nunc finis turpitudinis meæ ! Ex hoc momento omnibus, qui me offenderunt, amanter indulgeo. Ex hac hora pravos habitus meos exuere, occasiones peccandi fugere, & vitam meam emendare firmissime statuo.

Respice me miserum, Redemptor amantissime ! & per amaram passionem, crucem, ac mortem tuam pro me peccatore toleratam, per afflictæ Matris tuæ, tuique discipuli Joannis sub cruce stantis dolores te humillime oro, ut mihi cum latrone poenitenti misericordiam, veniam, & gratiam largiaris. Amen.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

ORATIO

*Ad singulas Stationes Matris
dolorose.*

O Afflicta DEI & mea Mater !
cujus sacratissimam animam,
non minus peccatorum meorum,
quam dolorum tuorum gladius per-
transiit: per eosdem amarissimos
dolores tuos oro te, impetra mihi
cor secundum cor tuum; ut a pec-
catis absolutus, Tibi, & Filio tuo,
puro corde deinceps serviam, & ab
omni gravi labe præservatus, in gra-
tia DEI vivam, & moriar. Amen.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

ORATIO

Ad Sepulchrum Domini.

DA benignissime JESU! ut con-
cupiscentiis meis crucifixus,
peccato, mundoque mortuus, ti-
bi soli vivam, & in sacris vulneri-
bus tuis sepultus per eadem sacra-
tissi-

tissima vulnera ad vitam aliquan-
do refurgam sempiternam. Qui
vivis & regnas in sæcula sæculo-
rum. Amen.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

Aspirationes piæ

Crebrius per iter usurpanda.

Recordare JESU pie!

Quod sim causa tuæ viæ.

Ne me perdas illa die.*

Quærens me sedisti lassus,

Redemisti crucem passus,

Tantus labor non sit castus.*

Passio Christi conforta me!*

Amor meus Crucifixus est!*

Per crucem & passionem tuam

miserere mei!*

Adoramus te Christe, & benedici-
mus tibi,

Quia per crucem tuam redemisti
mundum!*

Post Iter

*Finita peregrinatione rursus domi,
vel in Ecclesia prosterne te coram ima-
gine Christi crucifixi, & sequenti ora-
tione hoc pietatis exercitium absolue.*

Clausula Peregrinationis.

Suscipe, Domine JESU! in tui
honorem peractam peregrina-
tionem meam, & per sacratissimam
passionem tuam, fac me tecum,
& cum beatissima Virgine & Ma-
tre dolorosa ita per viam crucis
peregrinari in terris; ut per ean-
dem crucis viam ad cœlestem pa-
triam aliquando merear pervenire.
Qui vivis, & regnas cum DEO
Patre in unitate Spiritus Sancti
DEUS, per omnia sæcula sæ-
culorum, Amen.

PRECES
 DE
 PASSIONE
 CHRISTI,
 ET
 DOLORIBUS
 B. V. MARIÆ,
 PER
 QUADRAGESIMAM DEVOTE
 RECITANDÆ.

ORATIO

*Ad lucrandas quotidianas Stationum
Indulgentias.*

Domine JESU Christe ! agnosco innumerabilia esse debita mea, quæ peccatis meis, de quibus amore tui vehementer doleo, hucusque contraxi: confiteor illa esse tanta, ut viribus meis satisfacere pro illis nunquam possim.

Quare offero tibi in debitam satisfactionem infinita merita vitæ, passionis, ac mortis Domini nostri JESU Christi: Beatæ & dolorosæ matris & Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, cum quorum meritis conjungo & unio has indignas preces meas.

Suscipe Domine ! pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam conservare & exaltare, & ex illa universas hæreses extirpare digneris. Suscipe etiam pro Regibus & Principibus Christianis, quibus pacem &

ve-

veram concordiam donare digneris. Denique pro omnibus fidelibus defunctis, quibus hodiernas, quas lucraturum me spero, applicare indulgentias, & requiem æternam donare digneris.

Hæc oro te mi JESU! per pretiosum tuum sanguinem, per sanctissima tua vulnera, per passionem crucem ac mortem tuam, qua nos redemisti & per dolores pretiosissimæ Matris tuæ, Amen.

*Subjunge ad præcedentem intentionem
septem Pater & Ave.*

Psalms 50.

Miserere mei DEUS: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quo-

Quoniam iniquitatem meam,
ego cognosco: & peccatum meum
contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum co-
ram te feci: ut justificeris in ser-
monibus tuis, & vincas, cum ju-
dicaris.

Ecce enim in iniquitatibus con-
ceptus sum: & in peccatis conce-
pit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti:
incerta, & occulta sapientiæ tuæ
manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mun-
dabor: lavabis me, & super ni-
vem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium,
& lætitiā: & exultabunt ossa
humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis
meis: & omnes iniquitates meas
dele.

Cor mundum crea in me,
DEUS! & spiritum rectum inno-
va in visceribus meis.

Ne

Ne projicias me a facie tua: & spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, DEUS, DEUS salutis meæ; & exultabit lingua mea justitiā tuam:

Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium DEO spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, DEUS, non despicies.

Benigne fac, Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta:

tunc

tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Oremus.

REspice quæsumus Domine super familiam hanc, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

MODUS

Recitandi Rosarium B. M. V. cum mysteriis dolorosis.

Recitatur Symbolum Apostolorum, tum oratio Dominica, & tres Angelicæ salutationes, in quibus post verba: Ventris tui JESUS, additur

In prima: In quem credo.

In secunda: In quem spero.

In tertia: Quem amo super omnia,

Pet

Per reliquas Decades Rosarii in singulis Angelicis salutationibus post verba illa: Ventris tui JESUS, adduntur Passionis mysteria & quidem

In Decade Prima: Qui pro nobis sanguinem sudavit.

Secunda: Qui pro nobis flagellatus est.

Tertia: Qui pro nobis spinis coronatus est.

Quarta: Qui pro nobis crucem bajulavit.

Quinta: Qui pro nobis crucifixus est.

Sexta: Repetuntur singula mysteria per singulas salutationes.



OFFICIUM
DE PASSIONE & CRUCE
CHRISTI.

AD MATUTINUM.

℣. Per signum crucis de inimicis
nostris,

℞. *Libera nos DEUS noster.*

℣. Domine labia mea aperies,

℞. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

℣. DEUS in adjutorium meum in-
tende,

℞. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Amen.

Hymnus.

Patris sapientia, veritas divina,
DEUS homo captus est hora
matutina:

A notis discipulis cito derelictus:

A Judæis traditus, venditus, afflictus.

Antiph. O Crux venerabilis! quæ
salutem attulisti miseris, quibus te
effe-

efferam præconiis, quoniam vitam
nobis cæliternam præparasti.

V. Adoramus te Christe, & bene-
dicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam re-
demisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe, Fili
DEI vivi! pone passionem,
crucem, & mortem tuam inter ju-
dicium tuum, & animam meam,
nunc, & in hora mortis meæ: &
mibi largiri digneris gratiam, &
misericordiam, vivis, & defunctis
requiem, & veniam, Ecclesie tuæ
pacem, & concordiam, & nobis
peccatoribus vitam, & gloriam
sempiternam. Qui vivis & regnas
cum DEO Patre in unitate Spiritus
sancti DEUS. Per omnia secula
seculorum. *R.* Amen.

AD PRIMAM.

V. Per signum crucis de inimicis nostris,

R. *Libera nos DEUS noster.*

V. Domine labia mea aperies,

R. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Y. DEUS in adiutorium meum intende.

R. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.
Amen.

Hymnus.

HOra prima Dominum ducunt
ad Pilatum.

Et a falsis testibus multum accusatum,

Colaphis percutiunt manibus ligatum:

Vultum DEI conspuunt, lumen
Cæli gratum.

Antiph. O Crucis victoria! & admirabile signum! in cælesti curia fac nos captare triumphum.

Y. Ado-

V. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe, Fili DEI vivi! pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meae: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis, & defunctis requiem, & veniam, Ecclesiae tuae pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. *R. Amen.*

AD TERTIAM.

Ÿ. Per signum crucis de inimicis
nostris,

R. *Libera nos DEUS noster.*

Ÿ. Domine labia mea aperies.

R. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Ÿ. DEUS in adiutorium meum in-
tende.

R. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Amen.

Hymnus.

CRucifige! clamitant hora tertia-
rum:

Illulus induitur veste purpurarum:

Caput ejus pungitur corona spina-
rum:

Crucem portat humeris, ad locum
pænarum.

Antiph. Funestæ mortis damna-
tur ad supplicium, dum Christus
in cruce, nostra destruxit vincula
criminum.

Ÿ. Ado-

Y. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe, Fili DEI vivi! pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meae: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis, & defunctis requiem, & veniam, Ecclesie tue pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. R. Amen.

AD SEXTAM.

Ÿ. Per signum crucis de inimicis nostris,

R. *Libera nos DEUS noster.*

Ÿ. Domine labia mea aperies,

R. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Ÿ. DEUS in adiutorium meum intende,

R. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Amen.

Hymnus.

HOra sexta JESUS est cruci con-
clavatus;

Binis cum latronibus pendens de-
putatus:

Præ tormentis sitiens, felle satura-
tus

Agnus crimen diluens, sic ludifica-
tus.

Antiph. Per lignum servi facti su-
mus, & per sanctam crucem libe-
rati sumus: fructus arboris seduxit
nos, Filius DEI redemit nos.

Ÿ. Ado.

V. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe, Fili DEI vivi! pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meae: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis, & defunctis requiem, & veniam, Ecclesiae tuae pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. *R.* Amen.

AD NONAM.

℣. Per signum crucis de inimicis nostris,

℞. *Libera nos DEUS noster.*

℣. Domine labia mea aperies,

℞. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

℣. DEUS in adiutorium meum intende,

℞. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.
Amen.

Hymnus.

HOra nona Dominus JESUS expiravit:

Eli! clamans, Spiritum Patri commendavit:

Latus ejus lancea miles perforavit.
Terra tunc contremuit, nox Solem obscuravit.

Antiph. O magnum pietas opus!
mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.

℣. Ado-

V. Adoramus te Christi, & benedicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe, Fili DEI vivi! pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis mee: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis, & defunctis requiem, & veniam, Ecclesie tue pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. R. Amen.

AD

AD VESPERAS.

℣. Per signum crucis de inimicis
nostris,

℞. *Libera nos DEUS noster.*

℣. Domine labia mea aperies,

℞. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

℣. DEUS in adiutorium meum in-
tende,

℞. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.
Amen.

Hymnus.

DE cruce deponitur hora vespera
tina

Fortitudo latuit in mente divina,
Talem mortem subiit vitæ medi-
cina,

Heu! corona gloriæ jacuit supina.

Antiph. O crux benedicta! quæ
sola fuisti digna portare talentum
mundi: dulce lignum, dulces cla-
vos, dulcia ferens pondera: super
omnia ligna cedrorum tu sola ex-
cellior, in qua mundi salus pependit,

dit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.

V. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe, Fili DEI vivi! pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meæ: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis, & defunctis requiem, & veniam, Ecclesie tuæ pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. *R.* Amen.

AD

AD COMPLETORIUM.

℣. Per signum crucis de inimicis
nostris,

℞. *Libera nos DEUS noster.*

℣. Convertete nos DEUS salutaris
noster.

℞. *Et averte iram tuam a nobis.*

℣. DEUS in adjutorium meum in-
tende,

℞. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.
Amen.

Hymnus.

HOra Completorii datur sepul-
turæ,

Corpus Christi nobile, spes vitæ
futuræ.

Conditur aromate, complentur
scripturæ:

Jugis sit memoria mortis ejus duræ.

Antiph. Salvator mundi salva nos !
qui per crucem, & sanguinem tuum
redemisti nos : auxiliare nobis, te
deprecamur DEUS noster.

℣. Ado-

V. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi,

R. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine JESU Christe; Fili DEI vivi! pone passionem, crucem, & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam, nunc, & in hora mortis meae: & mihi largiri digneris gratiam, & misericordiam, vivis, & defunctis requiem, & veniam, Ecclesiae tuae pacem, & concordiam, & nobis peccatoribus vitam, & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus sancti DEUS. Per omnia secula seculorum. *R. Amen.*

COM.

COMMENDATIO.

HAs horas canonicas, cum devotione,

Tibi Christe recolo pia ratione:

Ut qui pro me passus es, JESU Redemptor bone!

Sis mihi solatium mortis in agone,
Amen.

**AFFECTUS
SANCTI IGNATII**

ad Christum patientem.

ANima Christi sanctifica me,

Corpus Christi salva me,

Sanguis Christi inebria me,

Aqua lateris Christi lava me,

Pallio Christi conforta me,

O bone JESU exaudi me!

Intra vulnera tua absconde me,

Ne permittas me separari a te,

Ab hoste maligno defende me,

In hora mortis voca me!

Jube me venire ad te,

Ut cum Sanctis tuis laudem te

In sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Oremus.

Domine JESU Christe! propter
illam amaritudinem mortis,
quam pro me sustinuisti in cruce,
maxime in illa hora, quando no-
bilissima anima tua egressa est de
benedicto corpore tuo: miserere
animæ meæ in egressu suo, & per-
duc eam in vitam æternam, Amen.

LITANIÆ

De Passione Christi.

Kyrie eleison. Christe eleison.
Krie eleison.

JESU Christe audi nos.

JESU Christe exaudi nos.

Pater de cœlis DEUS, miserere
nobis.

Fili Redemptor mundi DEUS, mi-
serere nobis.

Spiritus sancte DEUS, miserere
nobis,

Sancta Trinitas unus DEUS, mise-
rere nobis.

Q

JESU

JESU triginta argenteis apprehen-
 tate,
 JESU ad discipulorum pedes
 inclinate,
 JESU in oratione prostrate,
 JESU in agonia sanguineo sudore
 perfuse,
 JESU osculo a Juda tradite,
 JESU a ministris ligate,
 JESU a discipulis derelictæ,
 JESU Annæ, & Caiphæ præ-
 sentate,
 JESU alapa a ministro percussæ,
 JESU a falsis testibus accusate,
 JESU reus mortis judicate,
 JESU in faciem conspice,
 JESU oculis velate, & colaphis
 cæse,
 JESU a Petro ter negate,
 JESU vincus Pilato tradite,
 JESU ab Herode, & ejus exercitu
 sprete, & illuse,
 JESU veste alba indute,
 JESU Barabbæ postposite,
 JESU flagellis cæse,

Miserere nobis.

JE-

JESU propter scelera nostra at-
trite,
JESU veste purpurea indute,
JESU spinis coronate,
JESU arundine percusse,
JESU a Judæis ad crucem po-
stulate,
JESU morte turpissima conde-
mnate,
JESU crucis pondere gravate,
JESU vestibus exute,
JESU cum iniquis reputate,
JESU a prætereuntibus blasphe-
mate,
JESU a Judæis derise,
JESU a latrone injuriis laceffite,
JESU opprobriis saturate,
JESU felle, & aceto in siti po-
tate,
JESU usque ad mortem crucis
obediens facte,
JESU lancea transfixe,
JESU, de cujus latere exivit san-
guis, & aqua,
JESU de cruce deposite,

Miserere nobis.

JESU in monumento novo tumu-
late, miserere nobis.

JESU, cujus livore sanati sumus,
miserere nobis.

JESU pro nobis crucifixe, mortue,
& sepulte,

Agnus DEI, qui tollis peccata mun-
di, parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mun-
di, exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mun-
di, miserere nobis.

JESU Christe audi nos.

JESU Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas intentatio-
nem.

℞. Sed libera nos a malo.

℣. Domine exaudi orationem
meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Ore-

Oremus.

Obscramus te, Domine JESU
Christe, ut Passio tua sit vir-
tus nostra, qua muniamur, prote-
gamur, & defendamur. Pone Pas-
sionem, crucem, & mortem tuam
inter iudicium tuum, & animas no-
stras; ut inde mihi sit gratia, &
misericordia, vivis venia, defun-
ctis requies, pax Ecclesiæ, pecca-
toribus omnibus vita, & gloria sem-
piterna.

Absorbeat, quæso, dulcissime
Domine JESU Christe, spes unica,
& auxilium animæ meæ! mentem
meam ab omnibus, quæ sub cælo
sunt, ignita, & melliflua vis amo-
ris tui, ut amore amoris tui mo-
riar, qui amore amoris mei digna-
tus es mori: & deduc me e terris
in paradysum, qui de paradiso pro-
pter me in terras descendisti, O
amor amoris mei! Amen.

AFFECTUS
S. FRANCISCI XAVERII
ad Christum crucifixum.

O DEUS! ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me,
Aut quia non amantes Te
Æterno punis igne.
Tu Tu, mi JESU totum me
Amplexus es in cruce.
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem; & hæc propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem Te?
O JESU amantissime!
Non, ut in Coelo salves me,
Aut ne æternum damnes me;
Nec præmii ullius spe:
Sed sicut Tu amasti me,
Sic amo, & amabo Te,
Solum, quia Rex meus es,
Et solum, quia DEUS es.

Ore-

Oremus.

Domine JESU Christe! DEUS
cordis mei, per quinque tua
vulnera, quæ tibi in Cruce nostri
amor infixit, famulis tuis subveni,
quos pretioso sanguine redemisti!
qui vivis & regnas cum DEO Pa-
tre in unitate Spiritus sancti DEUS,
per omnia sæcula sæculorum. Amē.

HYMNUS

De Cruce Domini.

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda & sanguine.

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno DEUS.

Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura,


Electa digno stipite
 Tam sancta membra tangere.
 Beata, cuius brachiis
 Pretium pependit sæculi,
 Statera facta corporis,
 Tulitque prædam tartari.
 O crux! ave spes unica,
 Hoc passionis tempore
 Piis adauge gratiam,
 Reisque dele crimina.
 Te, fons salutis Trinitas,
 Collaudet omnis spiritus:
 Quibus Crucis victoriam
 Largiris, adde præmium.
 Amen.

Antiph. Per signum crucis de inimicis nostris libera nos DEUS noster.

Oremus.

PERpetua nos quæsumus Domine pace custodi, quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

OFFI-



OFFICIUM
DE SEPTEM DOLORIBUS
B. V. MARIE.

AD MATUTINUM.

Eja! mea labia nunc annuntiate,
Laudes, & dolores, Virginis
Beatæ,

ψ. Domina in adjutorium meum
intende.

℞. *Me de manu hostium potenter de-
fende.*

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

Septem tuos dolores,
MARIA, dum considero,

Tecum pati labores,
Tecum mori desidero.

Annæ gemit senectus,
Et Simeon affligitur,

Doloris ense pectus
Tibi dum transigitur.

Q 5

ψ. Tuam

250 *Officium de septem doloribus*

V. Tuam ipsius animam doloris
gladius pertransiuit:

R. Ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus
Domine JESU Christe! apud
tuam clementiam, nunc, & in ho-
ra mortis nostrae B. Virgo MARIA,
Mater tua, cujus sacratissimam
animam in hora mortis tuae doloris
gladius pertransiuit, per te JESU
Christe Salvator mundi: Qui cum
Patre: & Sancto Spiritu vivis, &
regnas DEUS in saecula saeculorum,
Amen.

AD PRIMAM.

V. Domina in adjutorium meum
intende.

R. Me de manu hostium potenter de-
fende.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

Hymnus.

FUGIS MARIA, prolis
Onusta charo pondere.
Et luminare Solis,
De nocte vis abscondere.

Ægyptus est asyli
Locus tuis amoribus.

Juxta fluenta Nili,
Liquefcis in doloribus.

℣. Tuam ipsius animam doloris
gladius pertransiuit:

℞. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Oremus.

INterueniat pro nobis, *quæsumus*
Domine JESU Christe! apud
tuam clementiam, nunc, & in ho-
ra mortis nostræ B. Virgo MARIA,
Mater tua, *cujus sacratissimam*
animam in hora mortis tuæ doloris
gladius pertransiuit, per te JESU
Christe Salvator mundi: Qui cum
Patre

252 *Officium de septem doloribus*

*Patre: & Sancto Spiritu vivis, &
regnas DEUS in secula seculorum,
Amen.*

AD TERTIAM.

*℣. Domina in adjutorium meum
intende.*

*℞. Me de manu hostium potenter de-
fende.*

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

IN Patris esse rebus,
Cum nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus,
Pallere sicut lilium,
Clamans per angiportus:
Fili! replebas æthera,
Dictura plus: obortus
Dolor premebat cætera.

*℣. Tuam ipsius animam doloris
gladius pertransivit:*

*℞. Ut revelentur ex multis cordibus co-
gitationes.*

Ore-

Oremus.

INterveniat pro nobis, quaesumus
Domine JESU Christe ! apud
tuam clementiam, nunc, & in ho-
râ mortis nostræ *B. Virgo MARIA,*
Mater tua, cujus sacratissimam
animam in hora mortis tuæ doloris
gladius pertransiit, per te JESU
Christe Salvator mundi : Qui cum
Patre: & Sancto Spiritu vivis, &
regnas DEUS in secula seculorum,
Amen.

AD SEXTAM.

*V. Domina in adjutorium meum
intende.*

*R. Me de manu hostium potenter de-
fende.*

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

EN fert trabale lignum,
Flagrisque JESUS icitur,
O Ma.

O Mater ! ecce signum,
 Cui porro contradicitur.
 Eheu ! crucem ferenti,
 Corpus pluit cruoribus ;
 Et tibi cor parenti,
 Submergitur doloribus.

℣. Tuam ipsius animam doloris
 gladius pertransiuit.

℞. *Ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Oremus.

INterueniat pro nobis, *quæsumus*
 Domine JESU Christe ! apud
 tuam clementiam, nunc, & in ho-
 ra mortis nostræ B. Virgo MARIA,
 Mater tua, *cujus sacratissimam*
animam in hora mortis tuæ doloris
gladius pertransiuit, per te JESU
 Christe Salvator mundi : Qui cum
 Patre : & Sancto Spiritu vivis, &
 regnas DEUS in secula seculorum,
 Amen.

AD

AD NONAM.

V. Domina in adiutorium meum
intende.

R. *Me de manu hostium potenter de-
fende.*

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

Calvaria est amoris,
Et est doloris vinea,

Sunt præla vinitoris,
Clavi, & corona spinea.

Dum fixus est JESUS,
Crucisque calcatur torculum,

Amor dolore læsus,
Premit MARIÆ oraculum.

V. Tuam ipsius animam doloris
gladius pertransivit.

R. *Ut revelentur ex multis cordibus co-
gitationes.*

Oremus.

Interveniat pro nobis, quæsumus
Domine JESU Christe! apud
tuam

256 *Officium de septem doloribus*
tuam clementiam, nunc, & in ho-
ra mortis nostræ B. Virgo MARIA,
Mater tua, cujus sacratissimam
animam in hora mortis tuæ doloris
gladius pertransiuit, per te JESU
Christe Salvator mundi: Qui cum
Patre: & Sancto Spiritu vivis, &
regnas DEUS in secula seculorum,
Amen.

AD VESPERAS.

R. Domina in adjutorium meum
intende.

R. Me de manu hostium potenter de-
fende.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

MARIA, quando petra
Sensu doloris scinditur;
Diesque nocte tetra
Luget, tibi cor scinditur.

De

Deposta membra ligno,
Sed membra casta lumine,
Foves sinu benigno
Lavas doloris flumine.

℣. Tuam ipsius animam doloris
gladius pertransivit:

℞. *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Oremus.

INterveniat pro nobis, quaesumus
Domine JESU Christe! apud
tuam clementiam, nunc, & in ho-
ra mortis nostrae B. Virgo MARIA,
Mater tua, cujus sacratissimam
animam in hora mortis tuae doloris
gladius pertransivit, per te JESU
Christe Salvator mundi: Qui cum
Patre: & Sancto Spiritu vivis, &
regnas DEUS in secula seculorum,
Amen.

R

AD

AD COMPLETORIUM.

℣. Convertat nos Domina tuis precibus placatus JESUS Christus Filius tuus.

℞. *Et avertat iram suam a nobis.*

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℞. *Me de manu hostium potenter defende.*

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

CUM Filio Sepulto
Lapis sepulchro advolvitur.

Tibi, MARIA, multo
Dolore vita solvitur.

Sedens ad antra tumbæ

Mæsti susurro murmuris,

Instar gemis columbæ,

Et plangis instar turturis.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit:

℞. *Ut reveleantur ex multis cordibus cogitationos.*

Ore.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus
Domine JESU Christe! apud
tuam clementiam, nunc, & in ho-
ra mortis nostrae B. Virgo MARIA,
Mater tua, cujus sacratissimam
animam in hora mortis tuae doloris
gladius pertransiit, per te JESU
Christe Salvator mundi: Qui cum
Patre: & Sancto Spiritu vivis, &
regnas DEUS in secula seculorum,
Amen.

COMMENDATIO.

O Mater! ut dolorum
Per hanc amaritudinem,
Cælestium bonorum
Gustem suavitudinem,
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero,
Septem tuos dolores,
Dum plango, dum considero.

R 2

PLAN:

PLANCTUS
B. MARIÆ VIRGINIS.

STabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendeat Filius,
Cujus animam gementem,
Contristatam, & dolentem,
Pertransiuit gladius.
O quam tristis, & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater Unigeniti.
Quæ moerebat, & dolebat,
Pia mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem si videret,
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
vidit JESUM in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit

Vidit suum dulcem Natum,
Morientem desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja Mater! fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum,
In amando Christum DEUM,
Ut illi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum stare,
Et me tibi sociare,
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

R 3

Fac,

Fac, ut portem Christi mortem,
 Passionis fac consortem,
 Et plagas recolare.

Fac me plagis vulnerari,
 Cruce fac inebriari,
 Et cruore Filii.

Orci flammis ne succendar
 Per te Virgo, fac, defendar,
 In die iudicii.

Fac me cruce custodiri,
 Morte Christi præmuniri,
 Confoveri gratia.

Quando corpus morietur,
 Fac, ut animæ donetur
 Paradisi gloria. Amen.

℣. Tuam ipsius animam doloris
 gladius pertransiuit.

℞. *Ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Oremus.


DEUS, in cuius passione secundum Simeonis prophetiam
 dul-

• dalcissimam animam glorioſe Vir-
• ginis & Matris *MARIÆ* doloris
• gladius pertransiuit : concede pro-
• pitius, ut qui transfixionem ejus &
• passionem venerando recolimus,
gloriosis meritis & precibus om-
nium Sanctorum Cruci fideliter ad-
stantium intercedentibus passionis
tuæ effectum felicem consequamur,
qui vivis & regnas cum *DEO Pa-*
tre in unitate Spiritus sancti *DEUS*
per omnia secula seculorum.

A M E N.



D. D. M. A.
INDEX



INDEX

*Piæ cogitationes de Passione, ac Morte Domini nostri
JESU Christi.*

Septimana I. Pagina	11.
Septimana II. Pag.	27.
Septimana III. Pag.	55.
Septimana IV. Pag.	85.
Septimana V. Pag.	116.
Septimana VI. Pag.	147.
Septimana VII. Pag.	479.
Praxis piæ peregrinationis ad montem Calvariæ. Pag.	211.
Preces de Passione Christi, & Doloribus B. V. MARIÆ per Quadragesimam usur- pandæ. Pag.	219.

O. A. M. D. G.

Passio-
btri

11.

27.

55.

85.

116.

147.

479.

211.

219.

